# CROATIAE,

AC

# SLAVONIAE

CUM

# REGNO HUNGARIAE

NEXUS ET RELATIONES.



DISQUISIVIT

GEORGIUS FEJÉR

BIBLIOTHECARIUS REGIUS.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

1839.

Huc nos abstulit Historiae Patriae amor, cui tantum semper tribuimus, quantum et privati officii, ac honestatis, et egregii Publici, interesse, credebamus.“

*M. Belius Praefatione Tomi III. Script. rerum Hung.*

Justitia autem praecipit, parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, sacra publica, a l i e n a non tangere.“

*Cicero de Rep. L. III. cap.* 12.

## AD LECTOREM.

Sacrae Regni Hungariae Coronae in Dalmatiam, Galliciam, Lodomeriam, Bosniam, Serviam, Bulgariam, tum in Cumaniam, seu Moldaviam, Valachiam et Bessarabiam, iuribus explicitis: Croatiae ac Slavoniae cum eadem nexus, atque relationes suppetunt nobis in Codicis Diplomatici Supplemento illustrandae.

Operae pretium duae Dissertationes, auctoribus anonymis editae, auxerant: Prior Conventu Regni An. 1790. Budae celebrato hoc titulo prodiit: Fundamenta, quibus ostenditur tres inferioris Slavoniae Comitatus s e m p e r ad Jurisdictionem Regni, et Bani Slavoniae pertinuisse; Anno 1834 Comitiis Posoniensibus, recusa. Altera eadem occasione scripta fuit: Animadversiones Historico - Criticae unius e Croatis in Dissertationem: De primitivis Regni Ungariae Limitibus, sive de partibus eiusdem integrantibus. Zagrabiae Typis Francisci Suppan.

1 *

Hae altiori nutu revidendae mihi oblatae disquisitionis necessitatem quadamtenus imposuerant. Quo in studio ita satagebam versari, ut Croatiae ac Sclavoniae cum Regno Hungariae nexibus et relationibus illustratis; de primaevis huius limitibus, partibusque integrantibus, diplomatum complurium documento, sententiam quam modestissime dicerem.

Num ad veritatem, immoderato Patriae amore ac partium studio alienus, propius accesserim in re multis mutationibus perplexa, aequo Lectorum iudicio, ut oportet, discernendum substerno.

Pestini 2. Martii 1837.

AUCTOR.

# Series Diplomatum

## Slavoniae ac Croatiae cum Regno Hungariae

### nexum ac relationes concernentium.

*I. Formula vetus Ecclesiarum dedicatarum et dotatarum ac status Regni in Croatia et Dalmatia Anno* 1062. 1071.

Ab Incarnatione Dni Nstri Jesu Christi millesimo sexagesimo secundo, indict. quinta decima, Imperii moderante habenas Dno Comneno, Croatiae Dalmatiaeque Regimen gubernante Petro. Diuina ueritate religione plurimi Christianorum relinquenquentes seculum soli Deo uixerunt, aly uarys tormentis sua macerantes corpora spiritum exhalauerunt, ex quorum numero non sumus; licet tamen de Dei timore compuncti corde delictorum nostroreminiscentes reatum, nos omnes accole Arbiane ciuitatis ardenti dilectione et nimio uoto vnanimes in Insula nostra exoptamus fundare Monasterium, portumque salutis animarum nostrarum. Igitur in principio ego Episcopus Drago cum omni nostro Clero et Maius Prior cum omni populo predicte vrbis, Nobilibus, ignobilibus, melioribus commu-

ni consensu ut in honorem D. N. Jesu Christi, et uere perfecteque Trinitatis, ac B. B. Marie Genitricis Dei, semperque Virginis, ac omnium Sanctorum in nostrum Monasterium construi — — — — — tibi Fulconi Abbati tuisque successoribus concedimus, stabilimus, et perpetuo iure roboramus unam ecclesiam, quae est aedificata in nomine B. Petri Apostolorum Principis, cum suis appendiciis per huiusmodi finem: Primitus a capite Macerie a monte vsque ad rivum, et descendendo per riuum vsque ad mare, et per mare ad Molendinum et ascendendo per montis verticem et eundo per illum vsque in priora confinia, tibi Fulconi Abbati et successoribus tuis perpetualiter concedimus. Aliam denique Ecclesiam Sancti Cypriani vocabulo conditam, cum pertinencys et appendicys suis concedimus per huiusmodi fines: A Valle obscura vsque in in Vallem de Prania (?) alias tres partes, mare inundat, vna cum marina omnibusque scopulis ad istud Promontorium subiacentibus et in ualles, que sunt apud Sanctum Cyprianum et alias, que sunt apud Sanctum Petrum, hac conditione donamus, vt nullus sine vestri iussionis licentia eas piscari audeat, et quicunque cum uestra licentia piscaturus intrauerit, quartam partem piscium attribuat monasterio Sancti Petri. Hunc autem nos Drago precitatus Episcopus de uoluntate totius nostri Cleri, et Maius Prior, et cunctus Populus tibi Fulconi tuisque successoribus ita uobis concedimus, vt vbicunque de his duobus venerandis locis complaceat vobis Domino cooperante monasterium constituatis uobis, uestrisque successoribus, sicut sancta Beatissimi Benedicti edocet regula, integre illa ueneranda loca, vt supra constituimus, cum su-

pra attactis ecclesys et omnibus superioribus et inferioribus, et vniuersis uiis suis ingrediendi et egrediendi, habendi, possidendi et omnem ordinem monasterialem ibi faciendi concedimus. Nullam namque reseruationem cuilibet parentum vel heredum aliquorum nostrorum facimus inde, aut quamlibet portionem requirendi. Sed eo modo constituimus, et stabiliendo firmamus, ut si aliquo tempore uel nos uel aliquis nostrorum parentum uel extraneus uobis aut posteris uestris molestiam intulerit, uolens inde aliquid ui auferre uel minuere, et non erimus uobis ab omnibus defensores et adiutores, centum libras auri componamus in Monasterio. Et hoc priuilegium et constitutio firma permaneat. Et si aliqua praeterea causa infra hanc materiam constitutam adversus nos orta fuerit, iubemus, vt coram Episcopo et Priore, seu omni Populo proclamationem semel faciatis, et si secunda uice nullam uobis emendationem inde fecimus, licentiam libere habetote discedendi a nobis et eundi ad regem, et sicut lis docuerit, ibi emendet. Hoc privilegium tibi Fulconi, et tuis successoribus taliter scribere iubemus. Actum in vrbe Arben. Iterum supradicta hereditas Sancti Cypriani sit communis cum Sancto Petro affirmamus; non a me solo episcopo et meis parentibus, sed primo ab ipsa Ecclesia et fratribus et omni Clero, omnique populo obtulimus Xto omnipotenti ego Drago immeritus omnium Episcoporum cum omnibus Clericis, confirmamus, et constituimus, ut quicunque homo seu de nostra vrbe, uel alienus aduersus hanc nostram constitutionem litigare temptauerit, anathematis uinculo perpetuo religetur, et omnipotentis Dei, omniumque prophetarum et duodecim Apostolorum ac CCCXVIII. Sanctorum Patrum incur-

rat maledictum, et cum Juda proditore mancipatus in inferno, et illam terribilem ac horribilem uocem mereatur audire, quam Christus dicturus est iniquis: Ite maledicti etc. Et qui defensor et adiutor extiterit, suavissimam illam audire mereatur cum iustis: Venite Benedicti etc.

Ego Dragus Episcopus signum † feci.
Ego Joannes A. Diaconus signum † feci.
Ego Diacon. Greg. signum † feci.
Ego Barba Presbit. signum † feci.
Ego Joannes A. Presbit. signum † feci.
Ego Lampridius Prior signum † feci.
Ego Maius Prior signum † feci.
Ego Martinus signum † feci.
Ego Maius signum † feci.
Ego Constantinus signum † feci.
Ego Maius Catty signum † feci.
Ego Martinus signum † feci.

Millesimo septuagesimo primo. Quemadmodum hoc testamentum bonum et iustum uidimus a uestro episcopo et clericis, ceterisque cunctis ciuibus corroboratum et laudatum. Ita ego Cressimirus Rex eandem collaudationem corroboro; et si aliquis instinctu diaboli compulsus hanc corroborationem nostram disrumpere temptauerit, conuenit sibi fortiori nobis esse, et amicitiam nostram spernere. — Anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo, die sexto intrante Madio presentibus magistro Gregorio Grammatico et Paulo de Paulia, et aliis Nos Stephanus miseratione Diuina Arbensis Episcopus predictam donationem seu concessionem manifeste cognoscentes fuisse factam ac etiam in vtilitatem et profectum Ecclesie nostre quam monastery antedicti, ratam et firmam haben-

tes, presentem donationem seu concessionem, vt maius robur contineat, firmiusque, sicuti in originali sigillum predicti episcopi Dragi predecessoris nostri perspeximus deperditum sigillo nostro pendenti iussimus communire. Precipientes et ad maiorem cautelam et perpetuam firmitatem eandem donationem redigi in publicum instrumentum; et excommunicantes omnes, qui contra predictam donationem uenire persumserint; iura et libertates ipsius Monasterii uiolando. Actum in Arbensi episcopatu."

**Ex archivo ciuitatis Arbensis.**

*II. Sub Regibus Hungariae Slauonia Ducatus nomine venit, ac decimae per totum nonnisi episcopatum Zagrabiensem Episcopo solutae. A.* 1193.

Calanus Dei gratia Quinqueecclesiensis Episcopus Paleatus, et totius Dalmatiae atque Croatiae Gubernator. Omnibus Christi fidelibus, ad quoscunque haec praesens pagina peruenerit, salutem in Domino. Licet omnes Catholicae fidei Professores, quod a pio Saluatore praecipitur, hoc propensius exequi teneantur: Viri tamen summales, quos diuina gratia prae ceteris extulit in mundo, non solum praeceptis dominicis sua debent colla subiicere, sed et ipsius consilia attentiori famulatu deuotius amplexari; vt et obedientia, ex mandatorum observatione proueniens, salutem ipsis pariat sempiternam, et consilii salutaris deuota completio multiplicem gloriam conferat et mercedem. Inde est, quod ego non ignarus, noui vel veteris testamenti, in quo tuba clara canitur et aperta, quod omnis Decima, sine omni mutilatione, Domino offeratur: et Abel Protomartyris passionem, quem pro sacra Decimarum oblatione inimica fraterni-

nitas nequiter interemit, non aure surdastri praeteriens, de omnibus victualibus, quae vulgo Caseu nuncupantur, et de eorum omnibus pertinentiis, tam in bobus, quam in ouibus, cum agnis et gallinis et panibus et aliis, quae sunt; quae ex diuersis locis, scilicet Krapina, Okich, et Podgoria ad Ducatus cellaria congregantur, Decimas dari Venerabili Dominico Zagrabiensi, Episcopo, et eius successoribus, sine omni cuntatione et mutilatione, quemadmodum per totum episcopatum suum de aliis Ducatus redditibus decimas habet, praecipio. Et vt haec perpetua stabilitate reniteat, huius antiquae constitutionis, secundum nouae concessionis paginam, sigilli mei munimine placuit insigniri. Nulli ergo liceat hanc iustam constitutionem infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare praesumserit, aeternam damnationem, velut Sacrilegus, non euadet, et Ecclesiae seueritatis sententia percelletur. Actum est istud anno Dominicae Incarnationis Millesimo, centesimo, nonagesimo tertio. Indictione XI. regnante piissimo rege Bela III."

Kerchelich Hist. Eccl. Zagrab. p. 324.

*III. Croatae donationali conditione tum intra, tum extra regnum militant.* 1193.

In nomine Sanctae et Indiuiduae Trinitatis, Bela, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque rex. — Quod fidelitas susciperet incrementum, cum merces fidelitatis digna retributione compensatur. Dignum ducimus, in illos Regiae munificentiae manum copiosius aperire, quos longaeua fidelitatis experientia, exhibitio deuotionis continua, gratiae nostrae reddit commendatos. Attendentes itaque oculo benigniori, sinceritatem,

ac deuotionem, dilecti ac fidelis nostri Comitis Bartholomaei de Veglia, totam terram pertinentem ad Comitatum Modrus, et cum pertinentiis et totis reditibus ei, et heredibus suis, iure hereditario, contulimus perpetuis temporibus possidendam; tali pactione interuenta: quod praenominatus Comes in exoratu gratiae nostrae, infra limites regni, cum decem loricis, nobis in compensationem suscepti beneficii assistat. Extra regnum vero cum quatuor loricis nobis seruiat; tamen tali tempore citatus veniat, in quo exercitus Croatiae ex praecepto regio vniuersaliter ad exercitum fuerit conuocatus. — Si autem dictus Comes cum tot Loricis, quot in conuentione suscipere se exhibetur, ad exercitum non venerit, et constiterit Serenitati nostrae per pigritiam, aut iniuriam et negligentiam suam, ad proximum sequentem exercitum dupplicatis loricis, in quot defecit, totidem recompenset. Vt ergo huius nostrae donationis pagina perpetuae firmitatis robur obtineat; et quod nulli liceat eidem donationi quidcunque subtrahere, aut minuere, imaginis nostrae cum aurea bulla inpressione fecimus communiri. Datum per manus Kathapani, Albensis Praepositi, Aulae regiae Cancellarii, Anno Incarnationis Domini Millesimo, Centesimo, Nonagesimo Tertio. Venerabili Job Strigoniensi Archiepiscopo existente, Venerab. Saule Colocensi Archiepiscopo, Calano Quinqueecclesiensi episcopo, et eodem Dalmatiae ac Croatiae Gubernatore, Crispino Chanadiensi Episcopo, Dominico Zagrabien. Episcopo. Dominico Curiali Comite, et eodem Budrugiensi, Andrea Comite Suprun, Both Comite de Bihor, Egidio Comite de Zala, Fulcone Comite de Wosvar — — Comite de Sanegg (Sumug.)“

Ex docůmentis familiae Zrinianae in archiuo Camerae existentibus. — Inferiorem Slauoniam, vbi Vodicza, in districtus Zarae ac Dubiczae contiguitate, fuisse, vide documentum in Codice Diplomatico tomo II. ad annum 1197. p. 304. sqq.

*IV. Iidem Croatae conditione donationis militant; subditi ac hospites ipsorum mardurinis contribuunt. An.* 1224.

In nomine Sanctae Trinitatis et indiuiduae vnitatis. Bela, Dei gratia Rex, Primogenitus regis Hungariae, Vniuersis praesentem paginam inspecturis salutem et gratiam. Dignum est et omni rationi consentaneum, vt his, qui Principibus suum pro tempore exhibent obsequium, sui laboris praemio non fraudentur, praecipue, vt alii eorum exemplo ad indefessae fidelitatis constantiam animentur quos laboris sui viderint praemia assecutos. Hinc est, quod Radus et fratres eius de Klokoche — — — qui de filiis Jobbagionum Sancti regis de Goriza oriundi fuerunt, ob fidelitatis suae meritum, qua Patri nostro et nobis seruierunt, tanta donamus praerogatiua libertatis, vt tam ipsi, quam ab ipsis in perpetuum descendentes, de domo et familia nostra de cetero censeantur. Quibus etiam terram de Klokocze perpetua donauimus libertate. Itaque de cetero ad idem dictum castrum nullum habeant respectum. Terrae autem eorum his metis distinguuntur etc. Porro hospites, quos praedicti liberi homines habuerint infra metas praescriptas, d e c e m d e n a r i o s d e b e n t p e r s o l u e r e a n n u a t i m p r o M a r t u r i n i s; duas partes earum marturinarnm, totius terrae illius, quae ad nos pertinebant, Radus et heredibus ejus dedimus in perpetuum, pro fidelitate, et multimodis seruitiis Patri nostro et nobis ab eo collatis. Quoties vero necesse fuerit, in

exercitu nostro quindecim loricatos et centum pedites vernaculos expeditos habebunt. Vt igitur regni nostri consuetudo exigebat, dictam terram et libertates praetaxatas, saepe dictis liberis hominibus de Klokoche per Prestaldum nostrum Petrum, filium Jorche, de Zagrabia, fecimus assignari. Vt autem tam nostra concessio, quam nostrae confirmationis series, cum libertate a nobis concessa, perpetuae robur obtineat firmitatis, praesenti pagina in notitiam deduci posterorum, et regiae authoritatis sigillo iussimus roborari. Dati vero testes sunt, vt factum praesens ampliori robore fulciatur: Chak Comes Budrugiensis, Allader Magister, Martinus Banus, Bachia Comes Zagrabiensis, Andreas Mag. Huius autem terrae indigenae: Guncellinus Archiepiscopus Spalat. Martinus Episcopus Corbauien. Michus Ep. Tinnien. Herebertus Abbas Topplicae, Boncelaus Comes Goricensis et alii, quorum recitatio fastidium generaret. Datum autem est hoc priuilegium per manus Mathiae Praepositi Zagrabiensis, tunc tempore aulae regiae Cancellary. Anno ab Incarnatione Domini MCCXXIV. IX. kal. Januarias."

Cod. Dipl. Tom. II.

*V. Iidem Croatae non ex pacto cum Colemanno confecto, sed distincta stipulatione serviunt. A.* 1550.

Anno 1550. Augustae Vindelicorum decima quarta die mensis Septembris datae sunt literae regiae Maiestatis confirmationales manu suae Maiestatis subscriptae, sigilloque secreto munitae in pendenti, quibus mediantibus sua Maiestas literas Serenissimi Principis Domini Sigismundi regis Hung. praedecessoris sui, habentes in se confirmatiue te-

norem quarumdam literarum serenissimorum quondam Principum, Dominorum Ludouici, et Belae regum Hungariae, felicis recordationis, quibus mediantibus idem Bela (Rex) Junior tam ipsos filios Jobagionum S. regis de Goricza oriundos, quam ab eis in perpetuum descendentes, de cetero tanquam de domo et familia regis Belae censeantur, quibus etiam terram Klokoche, in Croatia, perpetua libertate donauit; ita quod de cetero ad iam dictum castrum nullum habeant respectum. Terra autem eorum his metis distinguitur: etc. Porro hospites, quos praedicti liberi habuerint infra metas praescriptas, decem denarios debeant persoluere annuatim pro marturinis. Vnde quilibet de praefatis liberis hominibus tertiam partem marturinarum habet de suis hominibus, duae vero partes marturinarum totius terrae illius, quae ad ius nostrum pertinebant, Radus et heredibus eius dedit in perpetuum pro fidelitate et multimodis seruitiis Patri nostro, et nobis ab eo collatis. Quando vero necesse fuerit, in exercitum nostrum quindecim loricatos et centum pedites vernaculos babere debent; vt igitur regni consuetudo exigebat, dictam terram et libertates praetactas saepedictis hominibus de Klokoche per Prestaldum Petrum filium Jarcho, de Zagrabia, fecimus assignari. Vt autem tam nostra concessio, quam nostrae confirmationis series, cum libertate a nobis concessa perpetuae robur obtineat firmitatis, praesenti pagina in notitiam deduci posterorum, et regiae authoritatis sigillo iussimus roborari. Dati vero testes sunt, vt factum praesens ampliori robore fulciatur, Chak Comes Bodrogien. Aladar Magister — Martinus Banus, Bachia Comes Zagrabien. Andreas Magister etc. Datum est hoc priuilegium per manus Mathiae Prae-

positi Zagrabien. Cancellary. Anno MCC.XXIV. etc. Praescriptas libertates pro Georgio Woykffy et Chrystophoro Okmych, ceterisque Nobilibus generationis Klokoche, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis generose confirmauit saluo iure alieno."

Originales in archiuo Camerae R. H. A. Exscriptae per Steph. Kaprinai MSS. Tom. XXVIII. sub BB. nro CXLV.

*VI. Decimarum e marturinis Episcopo Quinqueecclesiensi in Comitatu Volko, Lesnissa, ac Nessicha competentium, euidens documentum. An.* 1239.

Nos Bartholomeus, dei gracia Quinqueecclesiens. Episc. totumque eiusdem loci capitulum omnibus presens scriptum cernentibus, salutem in domino. Cum omnium habere notitiam atque memoriam et in nullo penitus dubitare, pocius sit diuinitatis, quam humanitatis. Hinc est quod priorum posteriorumque per presens scriptum transmittimus noticie. Quod cum controuersia inter excellentissimum dominum nostrum Colomannum Regem, et totius Sclauonie ducem, ex vna parte, et magistrum domus templi in Hungaria et Sclauonia, ex altera, iam dudum verteretur super medietate terre de Licenissa, in comitatu Possaga; et pro terra de Maladin in comitatu de Dubicha. Ad pacem inter ipsos reformandam, et ad maius malum euitandum, de consensu tocius supradicti nostri Capituli, pro decimis maturinarum totius Comitatus de Volco, et et de Braigna (Baranya?) a supra dicto domino nostro et rege, in concambium nobis traditis, integraliter d e c i m a s  n o s t r a s de Licenissa et de Nessicha, dicte domui templi duximus permutandas et in perpetuum concessimus pacifice possidendas. Si autem in supradictis terris de Licenissa et de Nes-

sicha auri uel argenti fodina reperta fuerit, decime prouentuum auri vel argenti de parte sepe dicte domus templi, ad nos vel ad successores nostros integraliter deuoluantur, et vtrum de parte domini regis ad ipsum intercedere velimus, nostre relinquimus voluntati. Et ne super hoc apud huius concambii ignaros in posterum possit oriri dubietas, presentem paginam nostrorum sigillorum munimine prefate domui templi concessimus roboratam. Datum Quinqueecclesys mense maio. Anno gracie MCCXXX nono. Farkasio praeposito S. Petri existente, et Helia preposito sancti Johannis, magistro Thoma lectore Sancti Petri, Furcone cantore, Theodoro custode, Magistro Cancellario (?) Archidiacono de Marchia, Tumpino Archidiacono de Tolna, et magistro desiderio Archidiacono de Braigna tunc existente. — L. 4. Sigillorum.

Ex originali archiui Episcopalis Quinqueecclesiensis.

*VII. Accolae Walkoenses potiori parte Teutonici, Saxones, et Hungari. A.* 1244.

C. Dei gratia Rex et Dux totius Sclauoniae salutem et omne bonum. Ne ea, quae aguntur in tempore, labantur cum eodem, prudentum stabiliuit prouidentia, literarum testimonio roborari. Ad vniuersorum igitur peruenire volumus notitiam; quod nos hospitibus iuxta Castrum Wolko commorantibus, videlicet Teutonicis, Saxonibus, Hungaris et Sclauis, consilio et consensu omnium Jobagyonum nostrorum libertatem talem constituimus, vt omnem causam inter ipsos palam, praeter efusionem sanguinis, Maior villae eorundem, quem ipsimet disposuerint, iudicare teneatur etc. Datum in Wereuche. Anno ab

Incarnatione Domini MCCXLIV-o VIII. Idus May. Regni autem nostri anno nono."

Originales in archiuo Camerae R. H. A.

*VIII. Comitatus Varasd et Castrum Zagoria in Slauonia. A. 1258.*

Nos Stephanus Banus totius Sclauoniae et Capitaneus Stiriae, significamus omnibus, praesens scriptum inspecturis: Quod cum Dominus noster Bela, illustris Rex Hungariae nobis dedisset in mandatis, vt terras castrorum per totam Sclauoniam et specialiter in Comitatu Varasdinensi, a tempore Colomanni regis, felicis recordationis, alienatas iudicaremus; tandem Andreas, Comes Varasdinensis, et omnes Jobbagyones castri, scilicet Martinus Wolpoth, filius Nezdusa, Paulus filius Pose, Joachim, filius Wancke, Fulkumar Damask, filius Thomae, Rynchez, filius Rynch, Vlchik, filius Isou, Voluosbo, filius Crobina, Demetrius, filius eius Atazlo filius Ata, Martinus, filius Zulch, et ceteri Jobagyones castri Worosdiensis, et Benedictus Volpoth, Salomon, Stephanus, filius Rodus, Benk, Isoo, fratres eius, Johannes, filius Mirizlai et ceteri Jobagyones castri de Zagoria, quasdam terras filiorum Selk, scilicet Branicksebb, et Eliae, filii Jvance, nomine castri tam de Varasdino quam in Zagoria reambulauerunt. Super quibus terris nos iudicauimus eidem Andreae Comiti Worosdinensi et secum quibusdam iobbagyonibus castri sacramentum super eo, quod sub ipso iuramento, si quas terras scirent aliorum uel ipsorum filiorum Selk esse haereditarias vel empticias, has eisdem relinquerent sine qualibet contradictione in perpetuum possidendas. Postmodum autem in loco Sacramenti ipse Andreas Comes Worosdinensis et omnes Jobagyones castri praenotati, quasdam terras ab eis receperunt ad

castrum, quas sciuerunt castri esse, et alias terras, quarum nomina subscripserunt, quae erant haere-reditariae, has nomine haereditario, quae erant emptitiae, has nomine empticio, quae erant donatitiae, has nomine donatitio reliquerunt eisdem filiis Selk in perpetuum possidendas sine qualibet contradictione. Et quod deinceps eaedem terrae, quae eisdem in pace manserunt, nec in quaestionem cuiuslibet possint redire, vllo modo; ideo misimus nostros nobis fideles Saliz, Alexium, et Seheman, vna cum homine Andreae Comitis Worosdinensis, et vna cum Jobagyonibus castri praetacti, qui metas omnium terrarum suarum nobis in scriptis portarunt nemine contradicente, quin ymo commetaneis consentientibus et fauentibus in hoc modo (recenset metas) vt autem eius rei series salua semper consistat, — literas nostras concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Anno Domini MCCL VIII."

Ex authographo eruit Kerchelich Not. prael. p. 193.

*IX. In constitutione totius regni Slauoniae cardinali nec Com. Szerem', Veröcze, Posega, Valpo, nec Capituli Posegani, qua appertinentiarum, vlla mentio. A. 1270.*

Nos Mathaeus, Banus totius Sclauoniae, significamus omnibus praesentium per tenorem. In congregatione regni totius Sclauoniae Generali, Nobiles et Jobagyones castrorum, haec iura regni et Banatus infrascripta in scriptis nobis exhibuerunt, petentes, quod eadem in iudiciis exercendis et Banatus Juribus — — — per nostros Judices obseruare. Nos itaque vtpote qui de Bonis regni et vtilitatibus gratulamur, ipsorum petitionem iustam eo, quod praemissa Jura veris legitimis rationibus fundabantur, admisimus debito cum effectu, Primum

etc. — — Caeterum, cum quis in causa pecuniaria condemnatus Judici vel aduersario suo vsque ad secundum terminum satisfacere non curauerit, dicto termino vnus de Judicibus per regnnm constitutis ibit cum homine Comitatus Zagrabiensis vel Crisiensis, adhibito testimonio Capituli Zagrabiensis vel Chasmensis, et de bonis vel rebus contumacis iuxta condignam aestimationem iustum exiget iudicatum. — — — Item siquis in solvendo Mardurinas, collectam septem denariorum, Judicia exercitualia, vel etiam collectam, quae in regno fieri continget, seu Judicia, in quibus si conuictus contumax exstiterit, et rebellis, Comes Zagrabiensis vel Crisiensis cum vno de Coiudicibus sibi — ad exigendum procedet, assumto secum testimonio Capituli Zagrabiensis, vel Chasmensis, pro eo, ne plus iusto debito exigatur. Insuper volumus sub sententia poenae, quod nobiles in Zagoria, et aliis Comitatibus similibus, eo die; prout et alii, descensum dare non teneantur, nec eius adstare iudicio, sed Banus eos iudicabit pro tempore constitutus etc. Vt autem haec statuta supra scripta, seu constitutiones, robur perpetuae obtineant firmitatis, praesentes concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabiae feria quinta proxima post octauas Pascae. Anno ab Incarnatione Domini Millesimo Ducentissimo septuagesimo.

Apud Kerchelich Not. Prael. 201-2.

*X. Sclauonia tota trans Drauum; in illa iurisdictio ad solum Banum restricta.* 1325.

Carolus, Dei gratia, rex Hungariae, memoriae commendantes significamus, quibus expedit, tenore praesentium vniuersis: Quod tanto magis

regale Sceptrum extollitur, quanto a solicitudinibus releuatur, et quanto tribunal ipsius in omnium conspicit contributiones regiis (obscura). — Porro hac consideratione commoniti, qui de coelesti prouidentia regni moderamur habenas, ad regni nostri praecipua — — reddimur cura soliciti, quia honor Banatus totius Sclauoniae, prout ex litteris Magnifici viri Michk Bani eiusdem regni Sclauoniae, dilecti et fidelis nostri, percepimus per exemtiones, quas per nos aut praedecessores nostros ad importunitatem petentium fere omnibus Nobilibus de Sclauonia, scimus esse concessas in iudicys, iurisdictionibus et iuribus suis, valde esset omnino diminutus, volentes, vt ipsius Banatus honor sic magnifice moderetur, vt ex magnificentia ipsius Banatus Excellentia regia decoretur et quiescat sicut in diebus antiquis; omnes exemptiones, si quas quiuislibet Nobilium terrae Banatus a Nobis, vel a nostris praedecessoribus obtinuissent, per quas se a iudicio et iurisdictione aut iure Banatus in aliquo retraxissent, de Praelatorum et Baronum nostrorum consilio et consensu reuocantes, et cassantes, prouida deliberatione statuimus: Quod vniuersi et singuli homines tam Nobiles, quam aly cuiuscunque praeeminentiae, conditionis aut status existant vltra fluuium Draua, in tota terra Banatus constituti, iudicio et iurisdictioni Bani, pro tempore constituti, subiaceant, et nullus possit aliquem de terra Banatus coram Palatino vel Judice Curiae regiae, aut coram quouis alio Judice in Judicio aut extra Judicium conuenire; nisi coram Bano, pro tempore constituto vel eius Vice-Judicibus, per quos volumus iure et authoritate regia ac sui, ordinaria potestate quibuslibet iniuriam passis vel concertantibus iustitiae copiam

ministrari. Ad haec statuimus, vt nulli omnino Judicum liceat suam Jurisdictionem et iudicium in causas ortas in terra Banatus intromittere; nec causa huiusmodi ad praesentiam alicuius Judicis per Comites vel aliquod speciale mandatum deferatur. Vniuersis itaque Judicibus regni nostri, Palatino, Judici Curiae nostrae, Comitibus, aut aliis quibuslibet pro tempore constitutis, regio edicto praecipimus firmiter, per praesentes mandantes, quatenus vniuersos et singulos homines de terra banatus nec suo iudicio astare compellant, nec etiam in causas inter eosdem ortas suum iudicium et iurisdictionem aliqualiter intromittere praesumant. Si quispiam autem Judicum praesentis mandati nostri transgressor extiterit, aut ad praemissa se intromissrit, eius sententia vel iudicium nullius roboris obtineat firmitatem, et insuper indignationem regiam non euadat. Datum in Vissegrad in quindenis Natiuitatis Joannis Baptistae. Anno Domini MCCCXXV."

Ex authographo Banali. Kaprinai MSS. sub B. tomo IV. nro. LXV. — Si ergo nihilominus Palatinus, ac Judex Curiae regiae ordinaria iurisdictione in Comitatibus Posega, Verőcze, Valko processerant, provinciae hae ad Sclauoniam haud spectabant; ordinaria dico: nam extraordinaria etiam sub Wladislao processerant in Sclauonia, et Bani tam Sclauoniae quam Machouienses vicissim in Hungaria. Vt infra.

*XI. Sclauoniae partes Croatia et Dalmatia Anno* 1345.

Andreas Dandulo, Dei gratia Venetorum, Dalmatiae atque Croatiae Dux, Dominus quartae partis et dimidiae totius Imperii Romaniae, Nobili et Sapienti viro, Marco Cornario, de suo mandato Comiti Jadrae, ac prudentibus viris, iudicibus, consilio et communi Jadrae, fidelibus dilectis, salutem

et Dilectionis affectum. Intelligentes de aduentu Vngarorum in partes Sclauoniae, ac gerentes curam specialem ad confirmationem Vestram et aliorum nostrorum fidelium, nostras promissiones ad vos et ad alios nostros fideles prouidimus destinari, qui hinc sine mora discedent, per quos vobis nostram intentionem et desiderium curabimus denotare: et licet constantiam fidei et deuotionis vestrae promtam et feruentem ad honorem fidelitatis Nostrae cognoscimus; tamen fidelitatem vestram requirimus et rogamus, quatenus circa conseruationem vestram et fidelitatis vestrae sic vos regere debeatis, et effectualiter operari, quod possitis nostram gratiam vberius promereri, et vt reperiamus fidem stabilem, quam speramus, cum vestram conseruationem totis viribus affectemus, et intendamus modis omnibus procurare. Data in nostro Ducali Palatis die XIX. Junii XIII. Indictione.

Anonymi de obsidione Jadrensi Cap. VI.

*XII. Vetustae Croatiae Castra praecipua Anno* 1345.

Fluente annunciationis Jesu Christi anno A. M.CCCXLV. Indictione XIII. Julii mense Ludouicus rex aggregauit validam militiam, numero viginti millia Galeatorum cupiens ac proponens tam ciuitatis, quam Castra prouinciae Dalmatiae et Crotiae suae succumbere potestatis; et accipiente dicta comitiua cum incolumitate peruenit in Bihachi, vbi castra metatus est, fere per decem et octo diebus; atque ad eum omnes Croati, praeter tantum duos transmearunt, debitam reuerentiam impendentes, et claues castrorum, cunctarumque suarum vallationum et possessionum offerentes. Quos Rex gratanter suscepit, illumque Joannes cum sua genitri-

ce offendentes, iam bis ad sui gratiam benigne conuocauit, ab eis recipiens Tnini oppidum cum suis pertinentiis, quod et ipse rex suo nutu feliciter regit et gubernat; eidem Joanni praefatus Rex pro bravio quamdam Dioecesim in Cettina praemiauit. Praeterquam tria castra idem Rex nequiuit possidere, videlicet Ostrouiczam, Clisam et Scardonam." etc.

Ibidem. Cap. IV.

*XIII. Croatiae vetustas Comitatus Anno* 1401—4.

Sigismundus Rex etc. quondam Nicolaus et Blascho, fily Andreae Marini de Trag — cum nos alias cum plerisque Praelatis et Baronibus nostris ac proceribus, Nobilibus regni nostri; ad regnum nostrum Bulgariae, vbi immanissimorum Turcorum et aliarum Barbararum Nationum grandis cetus pullulabat, vna cum valido nostro exercitu applicuissemus, et cum eisdem Turcis et aliis Paganis personaliter aggrediendo, ducentes in area certaminis preliando, eandemque occulto Dei iudicio permittente, et fortuna nobis proh dolor, viribus nostri exercitus deficientibus, et pluribus fidelibus nostris nostro lateri tunc adhaerentibus, prostratis, Praefatus quondam Nicolaus sub vexillo fidelis nostri Magnifici viri, D. Nicolai de Gara, regnorum Dalm. et Croat. et totius Sclauoniae Bani, per eosdem Paganos succubuit, et extitit interemptus. Quorum praetextu volentes ipsis regio occurrere cum fauore, quasdam possessiones, seu villas Brunisce et Zacutie vocatas, in Comitatu Tinniniensi in regno nostro Croatiae existentes, in quarum pacifico et quieto dominio idem Blasco et quondam Nicolaus, frater suus, nec non progenitores eorum a tempore quondam Belle (sic) regis,

qui easdem villas ipsis progenitoribus eorum contulit; vt idem Blasco nec non Marinus, Andreas et Petrus fily praedicti quondam Nicolai pacifice de praesenti obtinent, donamus — — — nihilominus pro praemissis eorum fidelitatibus et seruitiis solutionem, seu collectam Mardurinarum, de praemissis possessionibus Nobis et fisco Nostro regio prouenire debentem, eidem Blasconi et filiis quondam Nicolai, ipsorumque haeredibus, donando et perpetuo appropriando, praemissa nostra regia auctoritate remittimus, et relaxamus, praesentium literarum nostrarum testimonio etc. Datum in Pachech feria II. ante festum S. Georgii Martyris. Anno MCDI."

Sigismundus etc. collationem possessionum seu villarum Suhi Dol, Pargometh, et Zbich, vocatarum, in Comitatu Clissiensi in regno nostro Dalmatiae habitarum, et aliarum Brunische et Zacuthie, in Comitatu Tinniniensi, in regno nostro Croatiae sitarum, vt in priuilegiis — approbamus — — — Datum Anno D.MCDIX. quarto kal. Aprilis, regni autem nostri anno XX."

Delle Memorie di Trau. 512—3. Croatia a Slauonia expresse distinguitur anno etiam 1546. in donatione castrorum Chaktornya et Strygo, Nicolao Zrini facta: „Verum etiam omnes arces et bona ipsius Keglevich Petri tam in Sclauonia, quam in Croatia existentes." etc.

*XIV. Lika, cum Castro Oztrovicza, Comitatus Croatiae Anno* 1437.

Nos Sigismundus, Dei gratia romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: quod nos consideratis

fidelitatibus et fidelium seruitiorum diuturniorum gratuitis meritis fidelium nobis, sincere dilectorum, primum quidem Casparis de Sibenico, demumque Nicolini, fily eiusdem Casparis de Eadem, regni nostri Croatiae praedicti Nobilium per ipsos praestitis etc. quandam possessionem seu villam nostram Mejaci vocatam, in Comitatu Livka habitam per notam infidelitatis Dionysy et Dragan, filiorum Gregorii Draganich — Ad manus nostras rite ac legitime deuolutam, tunc per nos castro Oztrowicza vocato, in dicto Comitatu de Livka habito annexam et applicatam, ab eodem castro eximentes et separantes cum omnibus vtilitatibus — ex certa Maiestatis nostrae scientia, et animo daliberato, de Praelatorum, et Baronum nostrorum consilio ac vniformi eorum decreto — memorato Nicolino — damus donamus et effectiue conferimus perpetuo et irreuocabiliter tenendam — sine duntaxat praeiudicio iuris alieni. — Datum Pragae feria quarta proxima post festum Natiuitatis B. Joannis Bapt. Anno Domini MCCCC. tricesimo septimo, regnorum anno Hungariae quinquagesimo primo Romanorum XXVII. Bohemiae XVII. Imperii vero quinto."

Ex originalibus exscripsit Steph. Kaprinai MSS. sub C. tomo XI. nro LII. Comitatus item Modrusiensem, Comitibus de Veglia; Corbaniensem Torquatis, ac Dubiczensem, equitibus Templariis, donatos ad Croatiam pertinuisse, quis ignoret? Comitatus Lyka compellabatur antiquitus de Roycha: confer. Diploma Colomanni regis, ac Ducis Sclauoniae, quo Dragano, ac filio huius Dragonich, terram Konszka in Comitatu de Roycha existentem donauit. Anno 1223.

XV. *Comitatus Zagrabiensis, ad fluuium Colapim, limites Anno* 1466.

Nos Mathias Dei gratia, rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Memoriae commendamus, te-

nore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis; Quod nostrae Maiestatis veniens in praesentiam fidelis noster, nobis dilectus Nobilis, et Egregius, Nicolaus, filius condam Joannis, fily olim Antony Bernardi Skalig, Skerlacz nominati, Aulae nostrae alias Familiaris, exhibuit, nobis quasdam literas Capituli Ecclesiae Chasmensis, sub sigillo eiusdem capituli priuilegialiter confectas, tenoris infrascripti; supplicans Maiestati nostrae, vt praedictas literas, iam quasi ob malam conseruationem earumdem semilaceratas, praesentibus litteris nostris priuilegialibus, de verbo ad verbum inseri et transferri facere, ratasque ac gratas habere dignaremur, quarum tenor talis est:

Capitulum Ecclesiae Chasmensis, Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnibus Saluatore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire; quod nobilis Domina Ursula, nobilis Stephani, fily Lubeu de Megyurecz — — contboralis, parte vero ab altera nobiles viri, Joannes et Petrus fratres, cum dicta Domina carnales, et vterini, filii vero et filia, Antonii Bernardi Skalig, Skerlacz appellati, de Verona, ex nobili foemina Catharina Komagavina, progenit. nostram personaliter venient. in praesentiam, sponte confessi et stipulati sunt in hunc modum: vt cum dicti fratres Joannes et Petrus idem castellum Komagavina, cum suis pertinentiis intra se iam diuisissent, memoratus quidem Joannes medietatem aedificiorum eiusdem Castelli ad orientem cum porta minori, et totali plaga montium, collium ac terris et foenilibus Plavesevöpolye dictis, ac versus orientalem et meridionalem partes se extendentibus, cum omnibus villis, possessionibus vineis, decimis, inibi existentibus, accepisset; re-

sidua vero pars vsque ad verticem montium ad partem occidentalem et septemtrionalem, territorium scilicet castelli Vinodol, pariter cum omnibus villis, possessionibus, collibus, montibus, vineis, earumdemque decimis, cum alia medietate aedificiorum supra portam magnam, pro praedicto Petro, fluuiis et molis ac residuis aedificiis vniuersis, prouti et syluis, nemoribus, ac montibus non excultis, pro communi vsu relictis, cessisset; possessionem porro et villam Paszthussa vocatam pariter diuisissent, partemque illam, quae meridiem spectat, praenotatus Joannes, illam vero, quae fluuium Culpp dictum, seu Colapim versus respicit, dictus Petrus cum interiacentibus similiter terris, fenetis, Jobbagyonibus obtinuisset, mutuo successionis et bonorum descensionis respectu continuo manente. Et licet memorata Soror cum praefatis Fratribus suis in dictis bonis et Juribus possessionarys omnibus, omnino in Comitatu Zagrabiensi adiacen. tum iure paterno, quam materno realem portionem habere posset; tamen consideratis multis complacentiis et singulari affectu antedictorum fratrum suorum, ysdem cunctisque haeredibus et posteritatibus eorumdem, vtriusque sexus, integram portionem suam, quam in praescriptis bonis et possessionibus, iuribus possessionariis, aquirere posset, in perpetuum donat et remittit, — porro in satisfactionem eiusdem remissionis et donationis perpetuae praetacti fratres dictae suae sorori mille et centum florenos auri boni et iusti ponderis, ipso facto numerassent, insuper supra memoratus Stephanus, filius Luben, affinis dictorum Joannis et Petri Skalig, tum ex optimo affectu, tum quod pro certis eiusdem factis et negotiis expediendis, summe tunc necessa-

rys, suprafati Joannes et Petrus affines sui, etiam Stephano, filio Luben, affini pariter suo, quingentos florenos auri dedissent, et assignassent, pro eo ipse onera et grauamina vniuersa in se assumen. omnem portionem suam possessionariam paterno auiticam, cum quatuor Jobbagyonibus integris, ac fundo Curiali ad ripam praedicti fluuy Colapis situato, nec nec integram plagam montium, quae a planicie orientali inciperet, et vsque — in verticem montium a meridie habit. duceret, taliterque ab inde duos colles, et valles versus septemtrionem comprehenderet, omnibus omnino in districtu Lelhovanich, seu Livthovanics, et Comitatu Zagrabiensi existent. et habit. cum eiusdem portion is haereditariae cunctis pertinentys et vtilitatibus, vt puta terris cultis, et incultis, foenilibus, pratis, pascuis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, promontorys, et decimis, aquis, piscinis, piscaturis, molendinis, et eorum locis, cunctis denique pertinentiarum et vtilitatum eiusdem portionis integritatibus, cum integrali suo Jure et vsu, per totum praetactum districtum Lythovanics, in praemissis, piscationis, glandinationis, rubor. et arborum quarumcunque successionis, mentionatis fratribus, affinibus porro suis, dedisset, et assignasset, per eorum haeredes, et haeredum successores masculos, in defectu istorum, foemineos vniuersos, iure perpetuo et irreuocabiliter possiden. tenen. pariter et haben. ipso facto. In cuius rei memoriam et firmitatem, praesentes contulimus literas nostras priuilegiales, quibus sigillum nostrum duximus appenden. Datum feria sexta proxima ante festum Beatorum Simonis et Judae Apostolorum. Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto decimo.“

Nos igitur huiusmodi supplicatione per annotatum Nicolaum, aulae nostrae Familiarem, modo, quo supra nostrae porrrecta Maiestati regia benignitate exaudita, et clementer admissa, praescriptas literas praedicti Capituli Ecclesiae Chasmensis, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, praesentibus literis nostris priuilegialibus de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali transcribi et transumi facient. quin iuxta meritorum qualitatem regio fauore occurrere debemus, consideratis et in memoriam Celsitudinis nostrae reuocatis fidelitatis, fideliumque seruitiorum praeclaris meritis, et virtuosis gestis, dicti Nicolai, Aulae nostrae familiaris, ex nobili alias Skaliginorum de Verona generatione oriundi, quibus idem nobis et sacrae coronae nostrae sub varietate locorum et temporum summo semper sinceritatis zelo, et fidelitatis constantia, solicitudine continua inde a tempore suscepti regiminis nostri, singulari cum alacritate cum adiectione laudabilium operum his praesentibus et praeteritis belli motibus, cum diuersis nostris et regni nostri aemulis et hostibus, saepius etiam singulari et personali certamine victor, iudefesse coram oculis Maiestatis nostrae sese studuit reddere gratum vtique et acceptum; volentes itaque praemissa ipsius fidelia seruitia regio nostro fauore contestari, praescriptas literas dicti Capituli Chasmensis quoad omnes earumdem continentias, clausulas, et articulos ratas, gratas ct acceptas habere, totum item et omne Jus nostrum regium, si quod in praefatis portionibus, locis, iuribusque possessionarys Komagavina, Paszthussa et Lyvthovanich, seu Lethovanich, qualitercunque haberemus, aut nostram ex quibuscunque causis, vys et rationibus, concerne-

rent Maiestatem, simul cum cunctis earumdem vtilitatibus, et pertinentys quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, aquis, pratis, pascuis, campis, foenetis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluuiis, pisciniş, piscaturis, aquarum decursibus, molendinis, et eorumdem locis, generaliter vero quarumlibet vtilitatum, et pertinentiarum suarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis existen. memorato Skalig, Skerlacz nominato, eiusdemque haeredibus et posteritatibus, cumprimis masculis, et contingente eorum defectu, foeminei sexus vniuersis dedimus, donauimus, et contulimus; imo damus, donamus, et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenen. possiden. pariter et habend. saluo iure alieno. Harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum est appensum, vigore et testimonio literarum mediante. Datum Crisy in festo Beatae Virginis Mariae de Niue, Anno Domini MCDLXVI. regni nostri anno nono, coronationis vero tertio." L. S.

Ex originalibus eruit Kaprinai MSS. sub B. p. 139. seq. Nro LXXXVIII.

*XVI. Comitatus Zagrabiensis limites: fluuius Vnna et Castrum Kostanicza.* 1440.

Commissio Propria Dominae reginae. Nos Elisabeth Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, et Croatiae etc. Regina, Austriaeque et Stiriae Ducissa, nec non Marchionissa Morauiae etc. Memoriae commendamus significantes tenore praesentium quibus expedit vniuersis. Quod nos, quae summi opificis opitulante clementia, ad regiae paternae scilicet sublimitatis solium, tanquam vera et legitima

regni huius haeres, euocata, singulorum nostrorum et sacrae coronae fidelium commodis et profectibus perspicaciter inuigilare et sollicite attendere, ac vnumquemque iuxta propriorum meritorum qualitatem remuneratione congruenti teneamur praemiare; longe tamen potius atque competentius, nedum communi, verum etiam naturalis ordinis lege suadente, talibus nostrae Maiestatis ac sacrae ipsius regni nostri coronae fidelibus, amplioris et vberioris liberalitatis, bravio debemus assistere, quos sicut consanguinitatis copula, sic non minus, immo fortius, perfectae deuotionis integritas nobis coniunctos et caritate adstrictos fore propensius repraesentat. Sane sicuti his etc. Fideles nostri, illustres Principes Fridericus et Vlricus, Ciliae Ortenburgae et Zagoriae Comites, fratres nostri carissimi — specialiter praefatus Vlricus tam operatione peruigili quam consilio prouido statuerunt multipliciter complacere; praetextu quorum cupientes ex nunc, prout promptis affectibus largius intendimus in futurum, eorum beneplacitis, quorum obtentu nobis instanter supplicarunt, aliquantisper respondere, Castellum Koztanicza vocatum, ex alia parte fluuii Zawan nuncupati, in quodam fluuio, Wn appellato, et ipsius fluuii insula, ac in Comitatu Zagrabiensi habitum existens, quod alias quondam Ladislai Toth de Zumzedwar praefuisse et per defectum seminis eiusdem in coronam ipsius regni nostri rite et legitime deuolutum fore perhibetur, — — eis dedimus, donauimus, contulimus, — — saluis iuribus alienis harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Budae in festo B. Pauli primi Eremitae. Anno Dom. Millesimo, quadringentesimo quadragesimo. L. S. impressi.

Ex originali St. Kaprinai MSS. sub B. Tom. LIX. n. LII.

*XVII. Oppidum Ujlak, Nicolai de Eadem, Dioeceseos Quinqueecclesiensis, in partibus Hungariae situm. Anno* 1451.

Nicolaus Episcopus, Seruus Seruorum Dei. Vniuersis Christi fidelibus, praesentes literas inspecturis, salutem. Omnipotens, sempiternus et misericors Deus, qui coelestia pariter et terrena ordinat ac disponit, suos ministros altis decorando honoribus et saluando thesauris pretiosissimis, quasi alliciendo muneribus, indulgentiis, videlicet, remissionibus, vt eos coelestis efficiat patriae possessores, inuitare per sua dona, gratias etc. munera consueuit, ad debiti famulatus Dei, suorumque Sanctorum honorem impendendum, vnde cunctis eorum patrocinium implorantibus misericordiae riuulus noscitur emanare. Cupientes igitur, vt Ecclesia Oppidi Wylak Dioec. Quinqueecclesiensis ad honorem et vocabulo D. Principis Apostolorum fundata, et in partibus regni Hungariae sita, quam progenitores Dilecti fily, Nobilis viri Nicolai de Wylak Wayuodae Trans. fundarunt, et Nicolaus ipse de nouo augmentare et reaedificare incepit etc. etc. Datum Romae apud S. Petrum An. Incar. Dom. Millesimo, quadringentesimo quinquagesimo primo, tertio Nonas May Pontificatus nostri anno quinto."

Ex archiuo Camerali.

*XVIII. Zagrabiensis Sclauoniae Comitatus exprimitur, ac prouentus marturinales praestat.* 1457.

Nos Ladislaus, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc Rex. Austriae et Styriae Dux, nec non Marchio Morauiae etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis: Inter ceteros nuncios regni nostri

Sclauoniae ad nos missos, nostrae Celsitudinis venientes in conspectum Egregii et Nobiles fideles nostri dilecti, Heningus miles de Zomzedvar, et Petrus, filius Georgii de Bizad, Nuncii Vniuersitatis Nobilium ac aliorum possessionatorum hominum Zagrabiensis Comitatus, in ipsorum ac eiusdem Vniuersitatis nominibus et in personis, Nobis ac Praelatis Baronibus et Consiliarys nostris exposuerunt in hunc modum: Quomodo praeteritis temporibus Vice-Bani dicti regni nostri Sclauoniae, nec non Comites, et Judices Nobilium Comitatuum eiusdem regni, item dicatores, et exactores collectarum, seu prouentuum mardurinalium nobis de eodem regno de antiqua consuetudine prouenientium, circa dicationem et exactionem eorundem prouentuum, plures nouitates ipsis Nobilibns et possessionatis hominibus, ac Jobagionibus eorumdem non solum onerosas, verum etiam plurimum damnosas, adinueniendo induxissent, et a multis iam temporibus praeteritis incolas eiusdem regni nostri diuersimode grauassent. Inter quas praecipuae hae essent: Vnum quemque villicum, qui ab huiusmodi collecta mardurinali omnino supportatus esse deberet, in vno floreno auri dicare, nec non de singulis dicis sex denarios soldinos, item de vno quoque sigillo similiter sex denarios, et quittantia, seu expeditoria duodecim den. extorquerent. Item per portarium seu hostiarium ipsorum exactorum mardurinalium, a quolibet villico intrante vnus denarius de singulis dicis similiter vnus den. exigatur et recipiatur. Praeterea inquilini seu seruitores ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum apud curias eorundem residentes, quibus sed et coniugibus et et liberis ipsorum victus quotidianus per

Dominos eorum ministraretur, quia ad solutionem huiusmodi collectae mardurinalis minime tenerentur, prouti etiam nec ab antiquo tempore dicati extitissent, in medium aliorum ad soluendos dictos prouentus attraherentur, et compellerentur, et vltra haec, tempore exactionis huiusmodi mardurinarum, diuersa victualia hominibus et equis necessaria per villas in rebus ac in pecuniis vltra debitum exigerentur, multisque aliis diuersis adinuentionibus incolae dicti regni nostri Sclavoniae, et Comitatus specialiter Zagrabiensis praefati grauarentur et opprimerentur: quod in maximum praeiudicium ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum cedit, oppressionemque pauperum atque damnum; supplicauerunt itaque praefati nuncii suis et aliorum, quorum supra nominibus Nostrae Maiestati humili precum instantia, vt eisdem circa praemssa regali subleuamine prouideamus. Vnde nos, qui cunctorum nostrorum subditorum, nobis fidelium ex officio nostri regiminis casus vberius per consueta remedia reformare, ac iniuste grauatis et oppressis regia prouidentia solèmus subuenire, supplicationibus praedictorum, regali pietate exauditis, et clementer admissis, volumus, vt a modo deinceps et in posterum huiusmodi prouentus mardurinales in dicto regno nostro Sclauoniae et Comitatu Zagrabiensi, iuxta dispositionem Serenis. quondam Principis, D. Sigismundi Imp. et regis Hungariae, aui nostri, eodem modo, quo prouentus lucri Camerae nostrae, in hoc regno Hungariae, dicantur, exigantur; vt proinde a subditis quoque nostris vnus florenus auri, aut valor eiusdem, sine aliqua nouitatis inductione, consueto tempore exigatur. Quo circa vobis fidelibus no-

stris dicatoribus et exactoribus praedictorum prouentuum mardurinalium, in praefato regno nostro Sclauoniae, ac in dicto Comitatu Zagrabiensi nunc constitutis et in futurum constituendis, harum serie firmiter praecipiendo mandamus, quatenus ammodo imposterum omnibus affuturis temporibus praescriptos prouentus mardurinales secundum praedictam dispositionem et ordinationem, tempore consueto a populis et iobagionibus iam fatorum Nobilium et hominum possessionatorum dicti regni nostri Sclauoniae, et signanter Comitatus Zagrabiensis exigere et leuare debeatis. Nec quidpiam amplius pro dica vel sigillo aut quittantia vel etiam portorio, seu hospitio vestro petere, aut in pecuniis, a villanis et villicis praedictis exigere, seu extorquere presumatis. Volumus etiam vt villici et inquilini, seu seruitores praedicti, contra antiquam dicti regni nostri Sclauoniae consuetudinem, in huiusmodi dicatione non grauentur, sed a talium prouentuum solutione iuxta priorem consuetudinem omnino liberi sint, et supportati habeantur. Secus facere non ausuri in praemissis, praesentes autem post lecturam semper reddi iubemus praesentanti. Datum Budae in festo beati Mathiae Apostoli anno Domini MCCCL VII. regnorum nostrorum Hungariae etc. XVII. Bohemiae vero quarto.

Originales in archiuo Comitatus Zagrab.

*XIX. Duorum eodem tempore regni Sclauoniae Banorum documentum A.* 1459.

Nos infrascripti, videlicet Ladislaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, Johannes de Zeech Comes Comitatus Zaladiensis, Georgius et Ladislaus, Comites de Bazyn, et Sancto Georgio, Johannes

et Sigismundus, similiter Comites de Eadem Bazyn et de Sancto Georgio, nec non Capitanei in Zakolcza, et de Tyrnauia, Paulus, filius Bani, de Also Lendva, Janitorum regalium Magister, Ladislaus de Kanyssa, Vayuoda Transsilvanus, Nicolaus de Eadem Kanissa, Pertoldus Elderbok de Monyorokerék, Joannes Wytowez de Gereben regni Sclauoniae Banus, Nicolaus et Georgius Petesfy de Gerse, Andreas Pankyrker, Comes Posoniensis, Vlricus de Groffenek, Iohannes de Zenth gyrolth (Szentgrót) Mykch, filius Nicolai Erdegh de Peleske, Petrus Zerechen de Meztegnyew, Franciscus de Osth, Puulus Danch de Zerdahely et Nicolaus de Wylak, Wayuoda Transiluanus, ac regni Sclauoniae, et Machouiensis Banus, (Fridericum Imperatorem Romanorum vt regnum, regimen ac Superioritatem inclyti regni Hungariae assumat, requirunt) Datum in Ujvar, Sabbatho proximo post festum beati Valentini Martyris (17. Febr.) An. MCCCCLIX. In margine accessisse notantur: Mathaeus Episcopus Transil. Martinus de Frangepan Segn. Vegliae, Modrusiaeque Comes, ac Ioannes Kapler de Kepche (nunc Kepcsén). L. totidem Sigillorum appensorum.

Originales in tabulario Augustae domus Vindobonensis.

XX. *Sclauonii inter factiosos. Anno* 1459.

Nos infrascripti videlicet Ladislaus de Gara, regni Hungariae Palatinus, Joannes de Zeech, Comes Comitatus Zaladien. Georgius et Ladislaus Comites de Bazyn, et Sancto Georgio, Joannes et Sigismundus, similiter Comites da Eadem Bazyn et de Sancto Georgio, nec non Capitanei de Zakolcha

et de Tyrnauya, Paulus, filius Bani, de Alsólendva, Janitorum regalium Magister, Ladislaus de Kanyssa Vayuoda Transyluanus, Nicolaus de eadem Kanyssa, Pertoldus de Eldenbok de Monyorokerék, Johannes Vytovecz de Gerehen, regni Sclauoniae Banus, Nicolaus et Georgius Pethessy de Gerse, Andreus Pankirker Comes Posoniensis, Vlricus de Groffenek, Iohannes de Szentgyrolt, Mykch, filius Nicolai, Erdeg de Peleske, Petrus Zerechen, de Meztegnyev, Franciscus de Ost, Paulus Danch de Zeredahel, et Nicolaus de Wylak Wayuoda Transiluanus ac regni Sclauoniae et Machouiensis Banus etc. Recognoscimus pro nobis et haeredibus nostris, et notum facimus tenore presencium vniuersis, quod post decessum felicis recordationis Serenissimi Principis et Domini Domini Ladislai Hungariae et Bohemiae etc. regis Domini nostri graciosissimi, sepe numero statum qualitatem, necessitatem et vtilitatem Incliti regni Hungariae considerauimus et pro tanta concorditer, nemine ex nobis discrepante, mutuo et bene deliberato consilio concluserimus, quod nostrum refugium ad serenissimum et inuictissimum Principem et dominum dominum Fridericum Romanorum Imperatorem semper Augustum ac Austriae Styrie etc. Ducem habere et serenitatem suam omni diligentia impulsare, requirere et rogare deberemus, vt dignitatem regiam ac regimen et superioritatem Praefati Incliti regni Hungariae assumpmere, seque de nobis et aliis regnicolis eiusdem regni ad laudem omnipotentis Dei, augmentum et exaltacionem fidei nostrae Christianae honorem vtilitatem et incrementum pretacti Regni, quod hucusque post obitum memorati domini nostri re-

regis varia impedimenta, incommoda et pericula pepessum et absque coronato rege tanquam acephalum fuit et hodie est, ac futuris temporibus in maiora incommoda et dampna deuenire posset, casu quo si cum Illustri et potente coronato rege non prouideretur, intromittere dignaretur etc. — — Datum in Wyvar (Wynar) Sabbatho proximo post festum beati Valentini Episcopi ac Martyris Anno Dom. Mil. Quadringent. quinquaesimo nono. Et nos Matheus Episcopus Transyluanus roboramus praesentes literas et quoad omnes clausulas huius sigilli nostri appensione ratificamus. (Scriptum hoc est in margine dextro) Et nos Martinus de Frangepane Segnie, Wegle, Modrusieque Comes, presentes literas quoad omnes articulos similiter sigilli nostri appensione ratificamus (In eodem margine). Et nos Johannes Kapler de Kepche, praesentes literas quoad omnes clausulas sigilli nostri appensione ratificamus (In margine sinistro.) Locus octodecim Sigillorum.

Ex autographo sanctioris Tabularii Augustae Domus.

*XXI. Eminens Osvaldi Zagrabiensis Ep. in regem ac regnum Hungariae fides. A.* 1474.

Nos Gabriel Albensis Transiluan. Osvaldus Zagrabien. Ecclesiarum Episcopi. Emericus de Zapolya, Comes perpetuus Scepus. Joannes Pongracz de Dengelegh, alias Wajuoda Transilu. Capitaneus generalis Exercituum regalium, Georgius Quinqueeccles. Protonotarius Apostolicus, et Caspar Sancti Martini de Scepusio, Ecclesiarum praepositi, ad perpetuam rei memoriam sfgnificamus, quibus expedit vniuersis: Qualiter serenissimus Princeps et Dominus Mathias, Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Croatiae etc. Rex, Dominus no-

ster gratiosissimus, vna cum Praelatis Baronibus, praefati regni Hungariae, Praecessorum suorum Serenissimorum regum et Dominorum Praelatorum et Baronum vestigiis inhaerentes; cupientesque potius in impios Christianae religionis hostes vires suas extendere, quam differentiis cum quibuscunque christianis incumbere; nos cum pleno, libero, et sufficienti mandato ac omnimoda facultate suffultos, ad locum hunc ab antiquo pro celebrandis inter se dietis consuetum, ad conueniendum cum Dominis Praelatis Baronibus regni Poloniae transmiserunt etc. Datum in antiqua villa feria II. proxima ante festum Cathedrae Beati Petri Apostoli Anno Domini MCDLXXIV.

Ex eodem Archiuo. Plurima forent eiusdem Osvaldi rebus in dubiis fidei in Regem et regnum Hungariae intemeratae documenta. Intemeratam Episcopi Zagrab. temporibus maxime aduersis fidem V. St. Kaprinay MSS. sub C. tomo II. nro LXXIX.

*XXII. Sclauoniis ad sui contra Turcos defensam Congregatio generalis, ac Capitaneus penes Banum eligendus, conceditur. A. 1477.*

Mathias, Dei gratia Rex Hungar. etc. Fidelibus nostris Magnificis, Egregiis et Nobilibus, ac alterius cuiusuis status et conditionis possessionatis hominibus in regno nostro Sclauoniae constitutis salutem et gratiam. Cum per hos dies fideles nostros Egregium Nicolaum de Dombo, Ladislaum Hermani de Gerében, et Petrum Vykzady, vestro nomine ad nos misissetis, declarantibus ipsis intelleximus tribulationes, angustias, et calamitates vestras, quas per Turcorum incursum nouissime percepistis; de quibus licet maxime doluerimus, et tanto maiorem conceperimus animo molestiam quanto Vestrum incommodum Maiestati nostrae

magis, quam alteri cuipiam iure dolendum sit; tamen id nobis graue imprimis et molestum est, quod ad alia maxime urgentia regni nostri negotia occupati et distracti, defensioni vestrae personaliter non possumus, prout maxime optaremus, succurrere, et nos ipsos iuxta desiderium nostrum exponere in protectionem vestram; nec dubitetis, quod vbi Deus hisce belli occupationibus, ad quod hostilis insultus et maxime regni nostri defensio nos excitauit, prout spes nobis optima est, liberauit, non parcemus laboribus, non expensis, sed et personam et vires nostras pro vestra defensione et statu illius regni nostri recuperando libentissime exponemus. Verum ne nobis interea ad alia intentis et occupatis regnum illud et vos (ex negligentia) maiora suscipiatis damna, et iacturas, prouidendum duximus, vt ad communem regni illius defensionem communia etiam vestrum auxilia concurrant, vt collatis inuicem viribus facilitas regnum incursandi infidelibus eripiatur; commisimus itaque fidelibus nostris Magnificis Joanni Thuz de Lak, et Ladislao de Egervara, regnorum nostrorum, Slauoniae et Croatiae Bano, vt vobis vnam generalem congregationem indicant, et ad vnum diem, per ipsos praefigendum, vniuersitatem vestram, nemine penitus excepto, personaliter conuocent. Requirimus igitur Fidelitates vestras, et mandamus vobis, et vnicuique vestrum, harum serie strictissime, quatenus habita praesentium notitia, iuxta requisitionem et informationem praefatorum Johannis Thuz de Lak et Ladislai Bani; ad diem et locum, quem ipsi vobis praefixerint, conuenire, et congregatione habita, vos ipsi vnum quemque tam Magnatem, quam Nobilem cuiusuis status et conditionis possessiona-

tum hominem connumerare, et quot quisque homines ad defensionem ac praeseruationem eius regni nostri pro viribus suis et pro facultate disponere possit, fideliter computare, et aestimare debeatis, decernatisque sub poena debita, vt iuxta connumerationem et dispositionem vestram eo numero, quo vos in ea congregatione indixeritis, quoties pro defensione eius regni nostri opportunum fuerit, vnusquisque personaliter insurgere debeat, et teneatur. Volumus autem, vt in eadem congregatione vestra pari voluntate et communi consilio penes Banum nostrum, vnum eligatis Capitaneum specialem, qui vobis magis idoneus videbitur, qui vna cum ipso Bano nostro defensioni vestrae assidue inuigilare, et quoties oportunum foret, iuxta dispositionem vestram, omnes ad insurgendum compellere, vosque et regnum illud ab hostium incursionibus praecauere debeat, et defensare, interea vero vt vos et vniuersi regnicolae eius regni nostri, vires eo facilius resumere, ac defensioni communi eo feruentius intendere possitis, et valeant, id ex speciali gratia nostra duximus vobis annuendum, vt hinc ad quatuor annorum spatium ab omni solutione taxae exempti sitis, et penitus supportati. Datum in ciuitate nostra Coremburg, in festo B. Lucae euangelistae, Anno Domini Millesimo quadringentesimo, septuagesimo septimo. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno vicesimo, Bohemiae etc. L. S.

Ex Archiuo Camerali.

*XXIII. Castra et Castella in Croatia et Sclauonia distincta. Anno* 1481.

Nos Mathias, Dei gratia, rex Hungariae et

Bohemiae, memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, vniuersis: Quod nos attentis et grata consideratione pensatis fidelitate et multimodis obsequiorum generibus, fidelium nostrorum Spect. et Magnif. Stephani de Frangepanibus Segniae, Vegliae ac Modrusiae Comitis, et Bernardini, filii eiusdem, per eos primum Sacrae dicti regni nostri Hung. Coronae, tandemque Maiestati nostrae, sub locorum et temporum diuersitate, cum omni sincera fidelitatis constantia exhibitis et impensis castrum Tersact, et ciuitatem Mudrussam, ac Castella Bythym, Plazy, et Klipzeh; item similiter castra Hreglin, cum portu Buccariza, et Grobnik; necnon castella Vinodol, et Driuenik, in regno nostro Croatiae habita; ac similiter castra, Ozail et Ribnich, nec non castella Dubouacz, et Zvecsay nuncupata, in Comitatu Zagrabiensi existentia — — — item totum et omne ius nostrum regium, si quod in praefatis castris, castellis ac ciuitatibus, oppidis, possessionibus, ad eadem castra, et castella de iure ab antiquo pertinentibus qualitercunque haberemus, aut nostram ex quibuscunque causis, viis modis et rationibus concernerent Maiestatem, simul cum cunctis ipsarum vtilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus (stilus) dempto tributo de Trigesima, memoratis Stephano et Bernardino Comitibus, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis, certa nostra scientia, et voluntate Serenissimae Dominae Beatricis reginae, consortis nostrae charissimae, de nouo ac noua nostra donatione appropriauimus, donauimus, et contulimus, imo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenenda, possidenda, pariter et habenda. Harum nostra-

rum vigore et testimonio literarum mediante, quas in formam nostri priuilegii regalis redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Zagrabiae feria V. proxima post festum B. Mathiae Apostoli. Anno Domini MCDLXXXI. Regnorum nostrorum Hungariae XXIII. Bohemiae vero XII."

Ex archiuo Camerali.

*XXIV. Mich. Orszàg Palatini, et Comitis Stephani Bathory Judicium Palatinale contra Malefactores in Comitatibus Crisiensi et Verőcze — item Zagrabiensi et Varasdinensi celebratum.* 1481.

Nos Michael Orszagh de Guth Regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum, ac Comes Stephanus de Bathor Judex Curiae Serenissimi Principis Domini Mathiae Dei gratia Regis dicti R. Hungariae, ac Bohemiae, Dalmatie, Croatie etc. memoriae commendamus, quod cum praefatus Dominus noster Mathias Rex, multiplicatis malefactoribus, et nociuis Hominibus, Regnique sui depraedatoribus, pro extirpandis eisdem, unicuique etiam querulanti pro impendenda Justitia congruenti, in hanc ciuitatem Zagrabiensem propriae suae Maiestatis in persona advenisset, nosque auctoritate sua subfultos ad Comitatus Crisiensem, de Werevcze, ac Zagrabiensem, et Varasdiensem, pro celebranda inibi congregatione generali in persona suae Majestatis deputasset, Comitatibusque in eisdem feria tertia proxima ante festum purificationis Beatae Mariae Virginis prope dictam Ciuitatem Zagrabiensem eandem congregationem celebrassemus generalem, et per uniuersitatem nobilium dictorum Crisiensis et de Werevcze Comitatuum, Nicolaum de Pevkry, Joannem Stepki de Termenicze, Ladislaum de Szente

Szent-Márton, Benedictum Posa de Posincz, Valentinum Pálfi de Obranovcz, Petrum de Grehovcz, Ladislaum de Mochyla, Sigismundnm de Kakovcza, Petrum de Pesthenye, Benedictum Supán de Prereknafev, Ladislaum de Husary, Martinum de Raven, Ladislaum Herrmánfi, de Gereben, Ladislaum Rohlfy de Deche, de dicto Comitatu Csisiensi. — Item Georgium de Arach, Joannem de Tapolovcz, Tomam Ispán de Wolavya, Emericum Thocha de Chopachovcz, Antonium de Chopincze, de praedicto Comitatu de Werevche pro Juratis Assessessoribus nobis petiuissemus assignari: tandem iidem Jurati Assessores una cum Andrea Capitánfi de Desmicze Vice Comite, item Ladislao de Mindszent, altero Ladislao Simonfi de Milethync, Mathia Sov de Gathalovcz, et Ladislao de Jonna Judlium ipsius Comitatus Crisiensis, — item Clemente paruo, similiter V. Comite, ac Fabiano de Petrovcz, et Thoma Faragó modo simili Judlium dicti Comitatus de Werevcze ad fidem eorum Deo debitam fidelitatemque dicto Domino nostro Regi et suae Sacrae Coronae Regiae pro dicenda veritate et Justitia obseruanda in eo, ut veritatem non oprimerent et falsitatem non rectificarent, sed cunctis justitiam observarent, quoslibet nocivos homines et malefactores: puta Fures, praedones, Latrones, Incendiarios, ac hospites eorum, nec non Cusores, delatores, et expositores falsarum monetarum, cudereque facientes easdem Monetas, cum hospitibus eorum: sculptores etiam sigillorum ac confectores et delatores falsarum Litterarum, — mutilatores, nihilominus hominum, et generaliter quoslibet alios nocivos homines, in eorum Registro nominatim nobis enarrarunt etc. — — — — Quos quidem Nobiles ita deprehensos cum aliis homini-

bus, popularibus, seu rusticis ipsorum Comitatuum Crisiensis et de Werevczein aliis Litteris nostris proscriptionalibus jam conscriptis et denotatis pro publicis et notoriis malefactoribus et nociuis hominibus nobis in eorum Registro assignarunt, qui quidem malefactores et nociui — — — — in Congregationem generalem venire non curarunt, sed se a facie nostra — — in eorum culpabilitatis manifestum Inditium absentarunt, vnde nos cum praescriptis V. Comitibus Judlium Juratisque Assessoribus in Judicio sedentes praescriptos malefactores et nociuos homines pari arbitrio et vnanimi — — — — amissioneque omnium, videlicet Jurium possessionariorum, rerumque, et bonorum quorumlibet in hoc Hungariae Regno ubilibet existentium duximus fore — — — penitus et omnino exstirpandos ex hoc Regno, — — una cum Proximis et cognatis horum Conscriptorum vel necatorum, in ablatione omnium rerum et bonorum ipsorum condemnandos, ne ullo unquam tempore aliquando similia valeant suscitare. Quicunque autem eisdem — Malefactoribus et nocivis hominibus hospitalitatem praebuerint, seu eosdem apud se tenuerint poenam eandem habeant subportandam — Nos itaque Vice-Comites et Judlium Crisiensis et de Werevcze praemissis omnibus et eorum singulis interfuimus atque ad hoc jussu Regio Conuocati Assessores praemissa suo modo peregimus et in horum Testimonium penes Sigilla Annotatorum Dominorum Michaelis Orszag Palatini et Comitis Stephani de Bathor Sigilla nostra duximus apponenda. Datum 4. die Congregationis nostrae praenotátae in loco memorato Anno Domini 1481. (L. 10. sigillor.) —

Ex originali collectionis Nic. Iankovics.

## SCLAVONIA.

Tua Ego Sclauonia, ac vnita Croatiae tellus
Pars quondam Illyrii, Pannoniique soli,
Adstiti Alexandro per Bella Monarchica Magno,
Gentem etiam Indultis extulit ille meam.
Post varias experta vices; tandem addita Christo
Hungaricae iunxi me sociam ipsa Mytrae.
Prima mihi de rege nouo sunt vota creando.
Primus in Hungarica Nobilitate locus.
Stellam, animalque insigne gero gens Martia martem
Jus aequale Hunis et mihi Taxa minor.
Marti aliquando crucem iunxi pro stemmate binam
Catholicae solum religionis amans.
Saepe in Caesareum ruit imperterritus hostem
Noster eques; verum hinc, quid nisi nomen habet.
Terra Bohema viris est culta et dedita nostris
Sunt fundata meis regna Polona viris,
Quae varia, in plures emisi examina gentes,
Jam Colapi et Sauo comprimor atque Drauo.

*XXV. Sclauoniae regnum in litteris, quibus armorum insignia obtinuit, inter flumina Drauum et Sauum continetur. Anno* 1496.

Uladislaus, Dei gratia, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae ac Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, nec non Silesiae, et Lucemburgensis Dux, Marchio Morauiae et Lusatiae. Ad perpetuam rei memoriam

Decet et regiam Maiestatem iustis et congruis precibus condescendere subditorum et ipsos subditos de plenitudine gratiae suae continuis honoribus afficere; vt dum suo subiecti dominio suaue iugum se portare senserint, fortius accendantur ad obseruanda suscepta debitae (fidelitatis) exercitia. Tunc enim subd iti in virtute laetantur boni praesidentis, quum eos non in antiquis solummodo legibus, et consuetudinibus suis, studiose fouet et obseruat; sed insuper nouis extollit honoribus, et regalis magnificentiae adornat donatiuis. Proinde ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod quum his diebus in hac ciuitate nostra Budensi vna cum nonnullis Dominis Praelatis et Baronibus regni nostri fuissemus constituti, fideles nostri nobiles, et egregii Bernardus de Thurocz, Georgius Kapitánfi de Desznicza, ac Nicolaus de Voikfi de Vorkoucz, nomine et in persona vniuersitatis Nobilium regni nostri Sclauoniae, nostrae Maiestatis accedentes conspectum, exponere curauerunt: quod, quamuis illud regnum nostrum Sclauoniae ab antiquo habuerit pro armorum insigni vnum Mardurem, et his armis vsque praesentiarum semper vsum fuerit, et eiusdem vniuersitas vniuersaliter vsa extiterit; tamen propter certas causas et rationes cuperent eidem regnicolae hoc armorum insigne per nostram Maiestatem renouari, et sibi de nouo ad perpetuam rei memoriam renouatum condonari. Nos igitur, qui praefatum regnum nostrum Sclauoniae et eius regnicolas nihilominus quam alia regna et dominia nostra, eorumdem incolas, cupimus non solum antiquis legibus, iuribus et consuetudinibus suis conseruare; sed etiam maioribus honorum titulis de regia nostra prouidentia, et libera-

litate decorare. Nam regnum hoc inter duo flumina, scilicet Sauum et Drauum constitutum, contra et aduersus Turcos, Christianitatis perpetuos hostes et inimicos sibi proxima loca tenens, continua bella exercet, et ita se armis tutatur et conseruat, vt vix eam regionem Turcus vnqam ingreditur, quin accepta grauissima clade, et calamitate ex eodem regno nostro recedat. Quapropter non immerito hoc vbi ipsum regnum nostrum vnum praecipuum scutum, vel potius antemurale huius regni nostri Hungariae appellauerimus. Vt itaque hoc ipsum regnum nostrum Sclauoniae, atque vniuersitas fidelium nostrorum in eo constituta, nostram regiam munificentiam persentiat, et experiatur liberalem; haec arma (videlicet in vno scuto triangulari duo flumina superius nominata per transuersum directe depicta, in eorumque medio superstitio campo scilicet penitus rubicundo, praedictum Mardurem, antiquum eorum insigne, coloris naturalis et proprii, reliqui autem duo, qui eiusdem scuti duas partes exteriores praedictorum fluminum occupant sunt penitus colore repleti coelestino; in quorum superiore vnam stellam, quod propter continuatas bellicas exercitationes, in quibus praefatum regnum nostrum Sclauoniae et eiusdem incolae aduersum praedictos Turcas continuo agitantur, sidus Martis voluimus appellare: praeterea supra scutum galeam vnam in vero colore, propriaque figura, variis floribus veluti vento agitatis vniuersum gyrum eiusdem galeae atque scuti, totamque armorum descriptionem pulchra diuersitate ambientibus, prout haec in principio, seu capite praesentium litterarum nostrarum figurata sunt et distinctius expressata) animo deliberato, et ex cer-

ta nostra scientia, ac de consilio praedictorum Dominorum Praelatorum, et Baronum nostrorum plenitudineque potestatis nostrae Regiae, eidem regno nostro Sclauoniae, vniuersitatique Nobilium eiusdem duximus dandum et conferendum. Annuentes eisdem, et concedentes, vt ipsi a modo deinceps in perpetuum his armis in Banderiis suis, et aliis quibusuis rebus, et exercitiis militaribus, vniuersitatem regni illius nostri concernentibus, fruantur et vtantur. Ac vt iidem publicae vtilitati suae cautius et prouidentius consulere possint; iisdem armis, in sigillo per impressionem cerae rubeae, quantum in litteris et epistolis missilibus omnibus in rebus nomine vniuersitatis suae vti, frui et gaudere possint ac valeant. E talismodi igitur singularis et specialis nostrae gratiae antidoto, merito exsultet et tanto ampliori studio ad honorem regiae Maiestatis ipsorum de cetero solidetur intentio; quanto ipsos largiori fauore regio praeuentos esse conspiciunt, et munere gratiarum. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes litteras nostras pendentis et authentici sigilli nostri, quo vt rex Hungariae vtimur, consignatis, eidem regno nostro Sclauoniae, regnicolarum eiusdem vniuersitati, duximus concedendas. Datum per manus reuerendi in Christo Patris, Domini Thomae, Episcopi Ecclesiae Agriensis, Aulae nostrae summi Secretarii et Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Budae in festo Conceptionis B. Mariae Virginis. Anno Domini MCCCCXCVI. Regnorum nostrorum Hung. etc. anno VII. Bohemiae vero XXVII-o. (L. S.)

Apud Kerchelich. Not. Prael. p. 301—2.

*XXVI. Diplomate, quo Capitulum Bosnense a procedendi in Sclauonia facultate inhibetur, haec una ab alia distinguitur. Anno* 1498.

Wladislaus, Dei gratia, Rex Hungariae et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod quamuis superioribus diebus, per vniuersitatem regnicolarum nostrorum, in Diaeta nouissime in campo Rakoss celebrata, conclusum, et per Majestatem quoque nostram literis etiam id concessum fuerit, vt capitulum Ecclesiae Bosnensis testimonium suum vbique per totum regnum nostrum Hungariae, ad quascunque executiones fiendas mittere possit; tamen vt ex querelis fidelium nostrorum, vniuersitatis Nobilium totius regni Sclauoniae intelleximus, huiusmodi concessio nostra ipsis in eo potissimum officeret, quia in illo regno nostro Sclauoniae tria capitula essent, quae ad facta illius regni nostri et regnicolarum nostrorum satis et superficientes sunt: nam propter multa loca credibilia variae falsitates in eo potissimum committerentur, quia aliquando personae ignotae loco Nobilium ad fassionem destinarentur, et bona talium per fraudem fatentium; quod non fieret, si in aliquo duntaxat Capitulorum illius regni nostri Sclauoniae, et non in aliis remotis locis tales fassiones fierent. Quapropter supplicatum extitit Maiestati nostrae in personis eorumdem exponentium, vt ipsos ab huiusmodi periculis eripere dignaremur. Nos igitur, qui inter alias curas et sollicitudines nostras ad ea potissimum intendere debemus, quae statui et commodo fidelium nostrorum conducerent; admissa igitur supplicatione praefatorum exponentium, nosentes vel iuribus vel antiquis consuetudinibus

illius regni nostri per huiusmodi concessionem nostram derogare, id eisdem regnicolis nostris gratiose duximus concedendum et annuendum, vt a modo praefatum Capitulum Bosnense ad aliud regnum nostrum Sclauoniae, ad cuiusuis instantiam, vigore concessionis nostrae huiusmodi, nullum testimonium mittere, aut aliquas in eo executiones facere vllo unquam tempore possit ac valeat. Decernen. quod omnes literae fassionales, statutoriae, et causales eiusdem capituli, cuiuscunque generis existentes, pro parte ipsorum regnicolarum nostrorum emanatae, nullius sint vigoris et firmitatis; imo annuimus et concedimus atque decernimus, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo vt rex Hungariae vtimur, impressiue consignatarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Budae, in Dominica inuocauit. Anno Domini MCDXCVIII. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno octauo, Bohemiae vero vigesimo octauo."

Ex originali. Ex hoc ergo diplomate false supponitur 1) inter tria capitula commemorata Poseganum referendum esse; cum illa fuerint: Zagrabiense, Chasmense, ac Varasdinense, cuius vtpote literas habemus clausas Comiti Reun de Bere datas, super obligatione, terram suam Bere non alteri, quam filiis Simonis dicti Vrdug vendendi: Codicis Dipl. tomi VI-i Vol. II. p. 177. 178. 2) Vtut hoc sit: False inde supponitur Comitatus quaestionatos Posega, Verőcze Valko, ac Szerem, tanquam partes integrantes ad regnum ac Banum Sclauoniae pertinuisse: iteratim enim distinguit diploma illos a modernae regno, dum dicit: illius regni Sclauoniae; ad aliud regnum nostrum Sclauoniae. Croatiam intelligendo: hac proin parte restrinxit Wladislaus Capituli Bosnensis procedendi auctoritatem, non etiam in altera: cuius quippe documenta subsequis quoque temporibus praesto sunt numero plurima; Capitulorum autem trium praenotatornm per Comitatus Posega, Verőcze, Valko, ac Szerem, omnino desunt.

*XXVII. Capitulum Bosnense post interdictum etiam Wladislai II. in Comitatu Syrmiensi procedit. A. 1511.*

Nos Capitulum Ecclesiae Budensis memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, vniuersis: Quod egregius Nicolaus de Keresztur, nominibus, et in personis Magnifici Domini Emerici Theurek de Enyingh, Bani castri Nándor Alben. et Nicolai ac Valentini, filiorum eiusdem, nostram veniens in praesentiam, per modum protestationis et inhibitionis nobis significari curauit in hunc modum: Quod videlicet castra Cherenth in Syrm. et Krapa in Zagrab. nec non oppidum Futak, ac portionem possessionariam in oppido Thelek nuncupato in Bacs. Comitatibus existent. adiacentia, cum omnibus eorum praerogatiuis ex donatione et perennali inscriptione illustris condam Domini Joannis Coruini, Liptouiae Ducis, etc. apud eosdem Dom. Emericum Thevrek, ac Valentinum, filios eiusdem, ante hac iam dudumque in pacifico et quieto dominio, ac possessione eorumdem, et earumdem perstitissent, persisterentque etiam in praesentiarum; tamen nunc, prout iidem Protestantes percepissent, et reuera intellexissent, illustris Dominus Georgius Marchio Brandenburg. nescitur, quo colore, impetrasset pro se, vigoreque quarumdam literarum introductoriarum, testimoniis Capituli Bosnensis ac Conuentus Cruciferorum de Alba, et clandestine se in dominium eorumdem et earumdem introduci et statui sibi facere vellet et niteretur; vel iam de facto statui fecisset in praeiudicium et damnum dictorum Protestantium valde magnum (Sequitur protestatio stylo solito) Datum feria secunda proxima post Festum Beati Gregorii Papae. Anno Domini MDXX-o.

Ex archiuo Exc. Camerae eruit Pray. Miscell. tom. VIII. p. 1.

*XXVIII. Districtus Walko, Eszegh, et Marchia ad Dioecesim Quinqueecclesiensem, non Zagrabiensem, spectabant. Anno* 1404.

Quinque Ecclesiense Capitulum. Omnibus Christi fidelibus, praesentibus, prout et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod Valentinus literatus, Ciuis Quinque-Ecclesiensis, in persona Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Valentini Cardinalis, Domini et Praelati nostri, ad nostram veniens praesentiam, exhibuit nobis quasdam literas Conuentus Ecclesiae Petri Varadiensis priuilegiales, petens nos nomine et verbo praefati Domini Cardinalis Valentini, vt easdem literas nostris similiter priuilegialibus transcribi, transcriptumque sub nostro sigillo praelibato Domino nostro Valentino Cardinali daremus, sui iuris in cautelam. Tenor itaque dictarum literarum priuilegialium Ecclesiae Petri-Varadiensis praenotatae sequitur et est talis: Conuentus Monasterii Varadiensis (V. in Cod. Dipl. Tomo IX. vol. I. p.) Vnde nos iustis et legitimis petitionibus praefati Domini Valentini Cardinalis, Domini et Praelati nostri per annotatum Valentinum literatum nobis porrectis, iustitia requirente, satisfacientes, praenotatas litteras dicti Conuentus Petrivaradiensis, in formam nostrarum literarum priuilegialium de verbo ad verbum absque decrescentia et augmento transcribi fecimus ad cautelam. Acta et facta sunt haec per manus Honorabilis viri Domini Pauli Lectoris Ecclesiae nostrae. Anno ab Incarnatione Domini MCDIV. Quinta Idus mensis July. Praesentibus honorab. et discretis viris Johanne Praeposito, Nicolao Cantore, Georgio Custode, Thoma Cathedrali, Gallo de Baranya, Mar-

tino de Valko, Petro de Ozyagh (Eszek) Andrea de Tolna, Benedicto de Marchya, et Ladislao de Regum, Archidiaconis, caeterisque quam pluribus in Eccla. nostra Quinquecclesiensi iugiter famulantibus et deuote."

Originales in archiuo Capituli Quinqueecclesiensis. Synodo Pazmanianae Anno 1629. celebratae, appendice II. folio 108. Judicibus item A. 1717. in causa Zagrabiensium contra Quinqueecclesiensem Episcopatum ratione limitum procedentibus (ex eo, quod Poseganus Praepositus et circumvicinarum Ecclesiarum Archidiaconi, non tantum albo Capitulari iam olim adscripti reperiantur, sed hodiedum actualiter officii sui stallo fungantur in Ecclesia Zagrabiensi) sat sit dicere: quod inferioribus Hungariae inter Danubium et Sauum partibus per Turcas occupatis, ac finibus confusis, distincta rerum anteactarum notititia defuerit." Ita Process. Jud. pag. 182. Martinus Joannis de Bela Presbiter ac rector Parochialis B. Mariae de Bujóch, et Canonicus Ecclesiae Beati Petri de Posegha, Zagrabiensis Dioeceseos, Ioannis Episcopi Zagrabiensis literis, quibus nobili Thomae de Desew, Praeposituram Zagrabiensem, contulit, nomine notarii publici subscriptus, qua Parochus fuit Dioecesis Zagrabiensis, non qua Canonicus Beati Petri de Posegha; Notarios enim, Vicarios, Canonicos alienae dioecesos, reperimus omnino complures. — Primum Petrus Petretich, Episcopus Zagrabiensis vendicauit sibi in Ecclesias Comitatus de Posega iurisdictionem, anno nempe 1659: eo ss. liquores mittendo, F. Petrum Nicolich suum his in partibus Vicarium literis Posony 13. Octob. datis constituendo, ac per eundem Parochias Comitatuum de Posega et Walko vsque Ivankovo anno 1660. visitando. Horum factorum veritatem ipsa Acta litis anno 1699. inter Bosnensem et Zagrabiensem agitatae contestantur.

XXIX. *Comitatus Walko non dicitur in Sclauonia, Nobiles de Walko, non sub Bano, sed Palatino insurgunt. Anno* 1514.

Wladislaus, Dei gratia, rex Hungariae, Bohem. etc. Fidelitatibus vestris Comiti et Vice-Co-

miti et Judicibus, ac toti Vniuersitati Nobilium tam possessionatorum, quam etiam vnius sessionis, Comitatus de Walko, salutem et gratiam. Planum est jam et apertum, ad quantam temeritatem ex insolentias rustici et populantes in toto hoc fere regno nostro, sub nomine cruciate, progressi sunt, quoue malignitatis animo insurrexerunt: domos nobilium euertentes, et conflagrantes, bona eorum diripientes, et insuper personas quoque ipsorum, vbi possunt et valent, misere interficientes: pro quorum malefactis reprimendis volumus et fidelitati vestrae harum serie firmiter committimus et mandamus, quatenus per singula Capita vestra, vna cum omnibus familiaribus vestris, meliori, qui poterit, numero insurgere, ac vos mouere, vt quo fidelis noster Spectabilis et Magnificus Emericus de Perén, Comes perpetuus Abaujvariensis, ac regni nostri Hungariae Palatinus, cui superinde nunciamus, vos cum praesentibus requisiuerit, mox ire et proficisci, et quid quid idem Dominus Palatinus in hys faciendum vobis dicet, facere et exequi modis omnibus debeatis, et teneamini; quo hujusmodi temeritas popularium exstinquatur. Aliud igitur, nullo modo facere praesumatis. Datum Budae feria secunda proxima post festum ascensionis Domini. Anno eiusdem MDXIV-o Commissio propria Domini regis."

Ex archiuo Camerali.

XXX. *Comitatus Chrysiensis Sclauoniae regno expresse accensetur Anno* 1517.

Nos Ludouicus, Dei gratia rex Hungariae, et Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod nos habentes respectum ad fidelitatem et

seruitiorum grata merita fidelium nostrorum Egregiorum Gregorii Orlowchyth de Csoka, et Petri Crusith de Çroog, Çapitaneorum nostrorum Segniensium et Castellanorum Clissiensium, que ipsi sacre primum huius regni nostri Hungariae corone, deinde Maiestati nostre, pro locorum ac temporum varietate tum alias semper, tum vero potissimum anno superiore, dum arx praefata nostra Clissien. a Turcis hostibus fidei nostrae sacro sanctae, magnis viribus obsideretur, ipsi arcem eandem ab obsidione propriis suis laboribus, viribus et expensis cum magna sui sanguinis effusione liberan. summa fidelitate et constantia viriliter ac strenue exhibuerunt et impenderunt et castellum nostrum Berzevcze vocatum, in Comitatu Chrisiensi, in regno nostro Sclauoniae habitum simul cum oppidis Berzevcze, Zenthgyergh, et Ivanch, ac possessionibus Apathowcz, Dethkowcz, Gradech, Borychowicz, Zygeth, Frychekowcz, Bankowcz, Blasowcz, Lexyncz, Sybwllye, Kollowcz, Zynowcz, Ebres, Zentgyergh, Nowawicz, Bakyncz Tothkowcz, Garicza, Dolowe, Mochyzo, Wyrwyz, Kernyno Radkowcz, Zela, alia Zela, Apathy, Rwsau, Bryschya, Herklacz, Gradyschya, et Zamarocz, aliisque vniuersis possessionibus, portionibusque, et quibuslibet iuribus possessionariis, vbiuis tam in Chrisiensi quam aliis quibuscunque Comitatibus dicti regni nostri Sclauoniae existentibus, habitis, ad idem castellum pertinent. quibus Illustris condam Laurentius Comes de Wylak, Dux Bosne, et Judex Curie nostre, possederat; sed idem castellum vna cum omnibus huiusmodi pertinentiis suis per mortem et defectum seminis eiusdem Laurenty Ducis ad nos, consequenterque collationem nostram regiam, iuxta antiquam et ap-

probatam dicti regni nostri Hungariae consuetudinem atque legem rite ac legitime deuolutum esse perhibetur, et redactum, quod quidem castellum cum pertinentiis, licet nos semper concordie eiusdem condam Laurenty Ducis nobiscum super ipso castello et alys bonis suis medio egregy Joannis Isthvanffy obeundae, eidem Joanni Istvanffy in eum finem vigore certarum literarum nostrarum donationalium dederimus, vt ipse concordiam huiusmodi inter nos et ipsum condam Ducem habitam finire et ad effectum, vti promiserat, perducere deberet; sed ea concordia opere ipsius nullum effectum sortiri potuit, totum et omne ius nostrum Regium, si quod Castello in praedicto, ac praescriptis vniuersis pertinentys suis qualitercunque haberemus, aut nostram, ex quibuscunque causis, vys, modis et rationibus concerneret Maiestatem, pariter cum cunctis suis vtilitatibus et pertinentys quibuslibet terris scilicet, etc. de consensu et beneplacita voluntate Serenissime Marie Regine, consortis nostre charissime, aliorumque Consiliariorum nostrorum, non obstante illa donatione nostra, praescriptisque literis nostris donationalibus, eidem Johanni Istvánffy super ipso castello modo praemisso per nos datis, memorato Gregorio Orlowchyth, et Petro Crusyth, ipsorumque heredibus ac posteritatibus vniuersis dedimus, donauimus, contulimus, immo damus, donamus, et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenen. possiden. pariter et habendum, saluo iure alieno, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante, quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus — — Datum Bude in festo Beati Bricoy Episcopi. Anno Domini MDXVII. regnorum nostrorum praedictorum anno primo.“

Ex originalibus in archiuo Camerae R. H. A, exscripsit Steph. Kaprinay MSS. sub B. Tom. XXVIII. nro XVII.

*XXXI. Comitatus Zagrab. Crisien. ac Varasd. in Sclauonia. Anno* 1526.

Ludouicus, Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae, etc memoriae commendamus, — — quod fidelis noster, Egr. Petrus Keglevich de Busin, Aulicus noster, leuis armaturae, ab ineunte aetate sua, sacrae coronae huius regni nostri, et deinde nobis semper fideliter constanterue seruiuit. Et in confinibus contra Turcas, eiusdem regni nostri perpetuos hostes, strenue dimicando, saepius etiam vulnera acerba passus est. Cuius fidem, constantiam, et virtutes militares, res ipsa testatnr: nam et Banatum Jaiczensem, quo annis superioribus fungebatur, feliciter et cum omnium laude gessit; ex cuius multis fidelibus seruitiis laude dignis, vt alia multa praetereamus, vnum illud, quod recenti memoria tenemus, non indignum duximus recensere. Quod paulo antequam Caesar Turcorum, numerosissimo exercitu nostrum hoc regnum hostiliter, subitoque inuasisset; ductu atque opera et industria ipsius Petri Kegleuich de Busin, tunc Bani Jaiczensis, profligata et caesa fuit a nostris non multis, haud pauca Turcarum, circa Jaiczam nostros fines deuastantium, multitudo. In cuius rei argumentum et suorum fidelium seruitiorum testificationem aliquot caesorum capita, et non pauca mancipia, in illo praelio capta, nobis dono miserat, arcem vero Jaiczensem contra ipsius caesaris et irrumpentium in nostros fines, et post illatam cladem regrediendo, regno nostro potenter, fideliter viriliterqne conseruauit. Atque interim, dum nostram arcem sollicitus defendit, nec suis bo-

nis defendendis inuigilare potuit, suis Turcis, siue mancipiis, qui tunc in suo castro Busin seruabantur, forte liberatis et dimissis subiit, vt non solum ex ipso, verum etiam ex aliis fide dignis viris intelleximus, ad quadraginta millia floren. aureorum sese extendentia damna. Et quia haec ipsi in nostris seruitiis occupato accidissent; meminimus, nos tunc assecurasse ipsum, et sibi fuisse pollicitos, in verbo nostro regio, quod oblata occasione compensare illa vellemus bonorum condigna | donatione. In recompensam igitur et remunerationem tot, tantorumque fidelium seruitiorum suorum nobis et regno nostro exhibitorum, atque damnorum praedictorum in illis exhibendis perpessorum castrum nostrum Fejerkov cum oppido sub eodem habito (enumerat per Comitatus Zagrab. Cris. ac Varasdinensem in S c l a u o n i a) damus conferimus etc. Datum Budae Anno Domini MDXXVI."

Ex originali Illust. familiae Keglevich Comitum.

*XXXII. Sclauonia sub domo Austriaca inter partes regno Hungariae subiectas censetur. Anno.* 1537.

Ferdinandus Rex etc. Memoriae commendamus etc. Quod nos in animum reuocantes praeclaram fidei integritatem, et seruitia cumulatissima fidelis nostri sincere dilecti Magnifici Don Petri Laso de Castilia, commendatarii sancti Jacobi de Spata, Magni Scutiferi, et stabuli nostri Magistri: quae ipse ab ineunte sua aetate tam in Hispania, quam in praefatis regnis nostris Hungariae et Bohemiae, aliisque in locis semper et assidue, in hunc vsque diem, praestitit, et impendit, considerantes etiam benemerendi de nobis singularem eius affectum, quem in Comitatus nostri, prisini (?) sibi prius

per nos ob pecunias promtas, non condemnendo numero nobis mutuatas inscripti, spontanea et libera retrocessione in subleuandis vrgentissimis necessitatibus, eo tunc nobis incumbentibus, ab eo facta, ostendit, assecurationem et promissionem nostram, quam vigore aliarum literarum nostrarum Viennae A. Domini MDXXXIII. vigesima quinta Juny de certis bonis in praedicto regno nostro Hungariae, ac partibus sibi subiectis, primo vacaturis, ad nostram collationem deuoluendis, tum pro seruitiis praefatis eiusdem Don Petri tum vero in compensationem mutuatae nobis suae pecuniae in verbo nostro regio eidem fecimus, ratam gratam et acceptam habentes castra Zomzedwara, et Stwbicza cum suis pertinentiis in Comitatu Zagrabiensi, regni Sclauoniae, existentia et habita quae alias Magnifici quondam Stephani de Deeshaza fuissent, sed per mortem et defectum seminis eiusdem ad nos, consequenter nostram collationem regiam — — deuoluta esse perhibentur et redacta — — memorato Don Petro Leso de Castilia, suisque haeredibus et posteritatibus vniuersis dedimus etc. Datum Pragae feria 5-a proxima ante festum Jonnnis Baptae, Anno Domini 1537. regnorum nostrorum Romani septimo, reliquorum undecimo."

E MSS. Stephani Kaprinai Tomo. XXVIII. sub B. nro LXVI. Originales in archiuo Camerae regiae Hung. Aulicae. Etiam literis Maximiliani Josepho Luka concessis Sclauonia est in partibus Hungariae subiectis n. CXVI.

*XXXIII. Comitatus Zagrabiensis in regno Sclauoniae censetur. A. 1537.*

Nos Ferdinandus Diuina fauente clementia, Romanorum Hung. Bohem. etc. Rex semper Au-

gustus, Infans Hispaniarum, Archi Dux Austriae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium quibus expedit, vniuersis. Quod nos habentes respectum cumulatissimorum seruitiorum fidelis nostri Generosi ac Magnifici Joannis Kaczianer, Baronis de Kacznstein et Fledneck, Consiliarii et Capitanei nostri Generalis, quae idem sacrae inprimis regni nostri Hungariae Coronae, deinde Maiestati nostrae a toto illo tempore, quo ipsius regni Hungariae gubernacula dispositione dna susceptimus, sedulo exhibuit, et impendit. Qui nimirum quoties pro dignitate nostra, proque ipso regno nostro tuendo, aut contra domestica arma, aut etiam aduersus exteros hostes, expeditionem habuimus, nusquam non praesto fuit, sibique a nostra Maiestate mandata ministeria diligenter, strenue et summa cum cura obyt, nullosque labores ac pericula subterfugit. Nunc quoque exercitu nostro aduersus Thurcas et pro recuperandis regni nostri Hungariae finibus misso, ita officia belli administrat, vt nihil non prudenti ac strenuo Duce dignum agat. Ob haec igitur eius merita arces Zomzédwara, et Stubycza in regno nostro Sclauoniae in Comitatu Zagrabiensi adiacentia, vna cum oppidis villis etc. quae per mortem et defectum seminis Magnifici quondam Stephani Deeshazy, ad sacram regni Hungariae coronam — — — deuoluta esse perhibentur, et redacta, simul cum cunctis suis vtilitatibus — — — memorato Joanni Kazianer eiusque heredibus et posteritatibus vtriusque sexus vniuersis, partim ob praescripta merita, partim titulo venditionis dedimus, inscripsimus etc. Datum Pragae in Festo B. Laurentii Martyris An. MDXXXVII. regnorum nostrorum romani septimo, reliquorum vero vndecimo.

Ibidem nro LXV. Eodem anno etiam castrum Selyn in Comitatu Zagrabiensi, regni Sclauoniae, per defectum seminis et mortem Magnifici condam de Deezhaza contulit idem Ferdinandus Pragae in festo ad vincula B. Petri Apostoli Magnifico Martino a Guzman, Camerario suo, ob praeclara merita, quae idem multos iam annos lateri eius adhaerens summa cum diligentia et constantia exhibuit et exhibet etiam in praesentia."

*XXXIV. Comitatus etiam Varasdinensis Slauoniae accensetur A.* 1547.

Anno 1547. in ciuitate Misniae Dresthden datae sunt literae regiae, quibus bona Zethczha, Busin et Berethyncz vocata, nobilis Joannis Forchych de Zethska, in Comitatu Varasdien, regni Sclauoniae existentia, conferuntur egregio Ambrosio literato de Gregoryanch, ex eo, quod Joannes Forchych notam infidelitatis propterea incurisset, quod oblitus fidei et fidelitatis Maiestati regiae et sacrae Coronae debitae, Petro Keglevich, manifesto rebelli et infideli, adhaesisset, ex publica vniuersorum Dominorum Praelatorum et Baronum ac regnicolarum regni Hungariae deliberatione, in publico eorum Conuentu Posony celebrato, pronunciato et publicato, eiusque seruitiorum factionibus, quas idem Petrus cum Turca Christiani nominis hoste publico, sese habuisset, et et eius seruitores nunc quoque habere dicuntur, incurrisset, iuxta antiquam et approbatam praedicti regni Hungariae legem et consuetudinem."

Ibid. nro CXIII. Idem Petrus Keglevich de Buzin gratiam obtinuit ad filiorum suorum aliorumque supplicationem tum seruitiorum ante Sacrae coronae praestitorum merito. A. 1548. 14-á Octobris datis Ferdinandi R. H. literis Viennae. Ibid. nro CXLIX.

*XXXV. Ex adverso Comitatus Posega et Verőcze in regno Sclauoniae non censentur. Anno* 1535.

Anno Domini 1535. Viennae feria 3-a proxima ante festum sanctissimi Corporis Christi datae sunt literae manu regia propria subscriptae, quibus mediantibus sua Mattas totum ius suum regium, si quod in castro Kévar in Posega, et Castello Bokva in Verőcze Comitatibus existent. vniuersisque oppidis, villis, possessionibus, portionibusque, ct quibusuis iuribus possessionariis ad eadem castrum et castellum, de iure et ab antiquo spectant. et pertinere debentibus haberet aut suam concerneret Maiestatem, Magnificis Francisco et Georgio de Thah, ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis dedit et contulit salvo iure alieno."

Anno Domini 1535. Viennae feriae 3-a proxima ante festum sacratissimi corporis Christi datae sunt literae regia manu subscriptae, quibus mediantibus sua Maiestas totum ius suum regium, si quod in castro Gradische, in Comitatu Posega existente, vniuersisque oppidis, villis, possessionibus, portionibusque et quibusuis iuribus possessionariis ad idem castrum de iure spectantibus haberet, aut suam concerneret Maiestatem, Egregio Stephano de Thah, ipsiusque posteritatibus vniuersis dedit contulit saluo iure alieno."

Anno Domini 1535. Viennae feria tertia ante festum sacratissimi corporis Christi datae sunt literae Regia manu subscriptae, quibus mediantibus sua Maiestas confisa ad plenum de fide et fidelitate Magnificorum Balthasaris Bánffy de Thallócz, Aulae suae familiaris, et Francisci de Thah, honorem Comitaus de Posega, qui nunc legitimo

caret Comite, durante beneplacito suae Maiestatis, cum solitis suis iurisdictionibus dedit, et contulit."
E libro regio. Ibid. nro LXX.

*XXXVI. Ferdinandus R. H. libertates ciuium de Kaproncza restaurat. A. 1556.*

Nos Ferdinandus Diuina fauente clementia Romanorum, Hungariae, Bohemiae rex, semper Augustus, Infans Hispaniarum, Archi Dux Austriae Dux Burgundiae, etc. Fideli nostro Magnifico Schell, de Kövend, Libero Domino in Ormosd et Praefecto nostro in Kaproncza moderno, futurisque pro tempore constituendis, salutem et gratiam. Expositum est Maiestati nostrae in personis fidelium nostrorum circumspectorum ciuium et incolarum oppidi nostri Kaproncza, quomodo Tu., et Castellanus Tuus, quem in Castello, nostrn Caproncza haberes, praefatos ciues prohiberetis, ne ligna tam ad focum, quam aedificia apta ex castrensibus syluis et alys quoque vicinis secare aut vendere auderent. Itemque praefatos ciues a piscatione fossae ciuitatis, in cuius reparatione pro tertia parte ipsi quoque laborassent, contra antiquam eorum consuetudinem et libertatem sub poena prohiberetis. Itemque certas sessiones ciuiles in ipso oppido existentes, et terras ad easdem pertinentes, ad castrum praefatum occupari fecisses; censum nihilominus ratione earumdem sessionum prouenire debentem, exigi faceres. Item quod terras exstirpaticias, in quibus sylua ciuitatis praefuisset, in praeiudicium ipsorum ciuium occupatas ad castrum possideres. Supplicatum itaque Maiestati Nostrae in personis omnium ciuium et inhabitatorum praedicti oppidi nostri Kaproncza vt eisdem super praemissis articulis de

opportuno Juris et iustitiae remedio clementer prouidere dignaremur, cum autem in singulis praescriptis articulis praefati ciues iustum petant, Nobisque placet, vt ipsi ciues requisito Castellano ex syluis tam castrensibus, quam etiam aliis vicinis, tam ad ignem, quam aedificia, pro eorum vsu libere vtantur, modo ne ligna ipsa diuidant aut dissipent. Item cum illud quoque justum sit, vt ipsi piscatione fossae ciuitatis non prohibeantur; placet nobis, vt ea pars fossae, quae castrum circumdat, castrensibus integra retineatur, reliqua vero pars, scilicet ea, quae oppidum ambit, solis ciuibus piscanda relinquatur. Item cum illud quoque nobis probetur, vt ratione sessionum ciuilium ad castrum praefatum occupatarum, ciues ipsi nihil contribuant, sed in ea parte census ordinarius diminuatur, et ipsi ciues supportentur. Postremo cum terras quoque exstirpatitias, ad ipsos pertinentes, remittere aequum sit; vt videlicet ipsi, tanquam legitimi possessores, fructus et vtilitates ex iisdem prouenientes capere possint, Fidelitati vestrae harum serie firmissime committimus et mandamus, quatenus in supradictis omnibus articulis, Nostrae praescriptae voluntati ac deliberationi, omni excusatione postposita, te accomodare, eamque obseruare debeas et tenearis. Secus non facturus. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Viennae 16: Marty. Anno Domini MDLVI. Ferdinandus m. p.

Ex originali archiui ciuitatis Kaproncza. Fundatur haec Ferdinandea ordinatio in libertatibus a Stephano Duce Slauoniae A. 1354 et a Margaretha eiusdem Vidua A. 1355 Hospitibus concessis. V. in Codice. Plures alios quoque fauores concesserat idem Ferdinandus Kaproncensibus Viennae 16. Marty A. 1556. et 17. eiusdem. Anno 1556.

XXXVII. *Milites, Nobiles, ratione fundorum suorum ciuilium contribuere, ac Jurisdictionem ciuicam subire obligati. Anno* 1595.

Mathias, Dei gratia, Archi Dux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis, etc. Vniuersis et singulis, Generalibus, Capitaneis et Vice-Capitaneis et praesentibus et futuris, in ciuitate Caproncza constitutis, et constituendis, praesentes visuris, salutem et gratiam. Informati sumus, esse nonnullos inter Milites suae Maiestatis Caesareae Capitaneatui et ducatui vestro subiectos, qui quamuis domos, agros, prata, foenilia, hortos et alia bona ciuilia in fundis ipsius ciuitatis habeant, nulla tamen opera ciuilia, eorumdem fundorum ratione, in medium ciuium praestare aut contribuere volunt. Quia vero communis omnium ea est iustitia, et obseruata vbique lex, et consuetudo, vt quicunque Dominorum et Nobilium, aut alterius Status hominum, bona eiusmodi ciuilia in aliqua ciuitatum habeat, ratione earumdem onera quoque ciuilia subire debeat. Idcirco hortamur vos et requirimus, ac authoritate sacrae ac regiaeque Maiestatis, qua fungimur, vobis committimus et mandamus; vt omnes et singulos, qui talium ciuilium fundorum, quacnnque ratione aquisitorum, possessione gaudent, ad singula etiam et quaeuis onera, et iurisdictionem quoque ciuilem, ratione eorumdem fundorum ferenda et subeundam cogere et compellere debeatis et teneamini. Secus non facturi praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Posonii 9-a die Mensis Marty. Anno Domini MDLXXXXV. Mathias m. p. Locus Sigilli. Lippay m. p.

Ex eodem Archiuo.

*XXXVIII. Decimas de Verõcze Dominium loci percepit, non Episcopus Zagrabiensis. A.* 1437.

Nos Sigismundus, Dei gratia, Romanorum Imper Augustus, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, etc. Rex. Praesentium tenore significamus, quibus expedit vniuersis: Quod quamuis larga Imperialis regalisque Munificentia singulis suis subditis, quos ipsa operum efficacia sibi fideles ex animo repraesentat, semper se exhibeat gratiosam; attamen illis, singulari quadam liberalitate, brauio retributiuo, promptior assistere solita est; quorum affluens fidei sinceritas, nedum praestitis placere cupit obsequiis, verum potius pluribus in antea praestandis speratur indubie placitura: sane considerand. pensandoque et animadvertend. multifariam, feruidamque et firmam gratae fidelitatis puritatem, multimodaque fidelium seruitiorum merita Fidelium nostrorum sincere dilectorum, Magnificorum Emerici et Joannis, filiorum quondam Nicolai Wayuodae de Marczaly, Magistrorum Janitorum nostrae Maiestatis, quibus ipsi a pluribus post sese iam consequenter retroactis temporibus, nunc vnus, nunc vero alter eorum, et frequentius ambo pariter, in curiam nostrae Celsitudinis conuersando, eiusdemque Curiae nostrae expeditionum, et directionum onus, postquam ad huiusmodi ipsorum officium per nos assumpti extiterunt, diligenti cum solertia ferendo, in nonnullis nostris et regnorum nostrorum agendis, exercitualibus quoque expeditionibus, sicuti prosperis sic adversis, et signanter dictus Emericus in Alamanniae, Lombardiae, Tusciae, et aliis Italiae partibus, quas alias pro susceptione sacrarum coronarum nostrarum Imperialium, volente Domino feliciter adeptarum, perlustrauimus, demum-

que nouissime in hoc regno nostro Bohemiae, decenti, imo copiosa familiarium suorum Comitiua fulcitus, cum nostra Maiestate vbique procedendo ac semper et continue lateri nostro adhaerendo, se nobis gratos reddere studuerunt et acceptos. Quorum intuitu volen. ipsos et eorum posteros fauore nostro prosequi gratioso, ciuitatem seu oppidum nostrum Wereucze nuncupatum, in Comitatu Wereucze situatum, nunc erga manus eorumdem Emerici, Joannis, a nobis titulo pignoris habitum, pariter cum palatio seu domibus nostris in eadem constructis, item possessionibus seu villis Doboyznik, Gerkocz, ac Busonacz, nec non Dezmarcz, Hethes, Budrocz, Boz, Selcz, Thavi, Zenth Miklós, Stephanocz, vtraque Goricza, alysque vniuersis, et singulis villis, ac possessionibus, vtilitatibus et pertinentiis, locis scilicet sessionalibus, terris arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, syluis, nemoribus, montibus, vallibus, foenetis, aquis, fluuiis, piscinis, piscaturis, et signanter paludibus Drauae, nec non vineis, et vinearum promontorys, molendinis et locis molendinorum, item tributo in dicta ciuitate exigi solito, nec non decimis vinorum, bladorum, agnellorum, porcorum, caeterisque cunctis prouentibus, obuentionibus, et emolumentis, ac Juribus, Jurisdictionibus earumdem, et generaliter quarumlibet vtilitatnm integritatibus, quouis nomine vocitatis, ad easdem ciuitatem, et palatium, ac possessiones seu villas de iure et ab antiquo spectant. et pertinent. sub suis veris metis et antiquis, ex certa nostra scientia et animo deliberato, praefatis Emerico, et Joanni, ipsorumque haeredibus, et posteritatibus vniuersis, omni eo iure, quo nostrae incumbunt collationi, dedimus, donauimus, et contulimus,

imo damus, donamus et conferimus Jure perpetuo et irreuocabiliter possiden. tenend. pariter et habendam, saluo iure alieno, tali tamen conditione, specialiter inserta; quod si nos aut Nostri successores, reges vt puta Hungariae, temporum in processu, nostro seu eorum beneplacito requirente, dictam ciuitatem, seu oppidum Wereucze pariter cum villis et possessionibus, aliisque vtilitatibus et pertinentiis suis praenotatis, a praefatis Emerico et Joanne de Marczaly, seu eorum haeredibus, pro se recipere et habere vellemus, siue vellent, extunc Nos, seu ipsi Nostri successores, alia Bona siue alias possessiones, villas, et iura possessionaria, dictae ciuitati, villisque et possessionibus antefatis, in qualitate, quantitateque et fructuositate ac prouentibus per omnia aequiualen. loco earumdem, ipsis Emerico et Joanni, ac eorum haeredibus dare, et assignare teneamur, et ad id sint efficaciter obligati, nec easdem ab ipsis aliter quoquo modo recipere et rehabere valeamus. Harum nostrarum vigore et testimonio Literarum mediante. Quas in formam nostri priuilegy redigi facimus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Pragae secundo die festi exaltationis sanctae crucis Anno Domini Milesimo, quadringentesimo trigesimo septimo, regnorum nostrorum Hungariae etc. Anno quinquagesimo primo. Romanorum vigesimo secundo, Bohemiae decimo octauo. Imperii vero quinto." L. S.

Ex originalibus Kaprinai MSS. tom. IV. sub B. nro LIII. p. 153. Supra scriptum: relatio Michaelis Országh Summi Thesaurarii.

*XXXIX. Decimas in Verőcze Episcopus Zagrabiensis neutiquam percipit. A.* 1449.

Nos Johannes, filius quondam Vaiuodae de Marczaly, Janitorum regalium Magister, Simegiensis et de Vereucze Comitatuum Comes, memoriae commendamns tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis. Quamuis Christianorum vnusquisque orthodoxe vt puta fidei diligens propagator, viamque et methodum percunctator salutis, ad cunctos Ecclesiarum Ministros manus adiutrices iuxta largitatis sue beneficia extendere teneatur; in illos tamen considerationis sue aciem, qui abiectis seculi vanitatibus, mactatisque seculi carnalibus desiderys, sub regulari habitu se omnium Creatori deuouentes, placabiles hostias pro viuorum et mortuorum non cessant immolare peccatis, specialius infigere debet: ob spem igitur et deuotionem, quas erga B. Virginem Mariam, Sanctumque Paulum, primum Eremitam, indubie gerimus et habemus confidenter, quorum precibus nedum in imis, verum etiam coelestibus, cunctis nostris in opportunitatibus reponere soeramus et deposcimus adiuuari, nihilominus anime nostre, et charorum fratrum nostrorum salutari pensato remedio, o m n e m e t t o t a l e m d e c i m a m tam vini, quam etiam frugum: ex parte scilicet Jobagyonum, religiosorum ac Deo deuotorum virorum Fratrum Eremitarum, Sancti Pauli primi Eremite, in clanstro B. Benedicti de inferiori Baccqua, commorantium, nobis ad castrum nostrum de i p s a W e r e u c z e hactenus prouenire debentibus, eidem claustro et per consequens Fratribus temporu m in processu in eodem Deo famulantibus, sano prius et deliberato in nobis libero consilio, perpetue elemosyne in recompensam, duximus relaxan-

dam, imo relaxamus, easdem eisdem presentium per vigorem. Quo circa vobis vniuersis hominibus et decimatoribus nostris pro tempore constitutis et constituendis, qui scilicet praesentium serie fueritis requisiti, mandamus et committimus seriose, quatenus praefatos Fratres Eremitas et eorum, vt prefertur, quoslibet iobbagyones praetextu huiusmodi decimarum in nullo impedire, molestare, damnificare, et perturbare praesumatis, nec ausi sitis modo aliquali. In cuius rei memoriam, cautelamque vberiorem, litteras sub sigillo nostro secreto eisdem claustro et Fratribus duximus concedendas. Datum in Wereucze castro nostro in festo BB. Philippi et Jacobi Apostolorum. Anno Domini milesimo quadringentesimo quadragesimo nono." L. S. penden.

Originales in Archiuo Camerae regiae Aulicae.

*XL. Comitatus de Posega ad diaetam Budae celebratam duos ex suis mittere iubetur. Anno* 1477.

Mathias Dei gratia rex Hungariae, Bohemiae etc. fidelibus nostris vniuersitati Nobilium Comitatus de Posega salutem et gratiam. Intelligere potuit fidelitas vestra, quanta serenissimus Dominus Imperator vna cum primogenito regis Poloniae et aliis sibi adhaerentibus contra regnum nostrum moliebatur, et iam praedas et incendia et alias hostilitates in regno nostro inchoarat, maiora in dies machinaturus, propter quod nos tantis iniuriis et periculis imminentibus prouocati, et si prius omnes conditiones pacis obtulerimus, non vltro sed coacti ipsis occurrimus, et Deo opitulante ac vestris subsidiis interuenientibus ea, quae hostis noster in terra nostra agere volebat, in terris suis perfecimus, et per hoc ipsum Serenissimum Dominum Im-

peratorem, vna cum consilio Praelatorum et Baronum nostrorum ad tales articulos pacis deduximus, vt a modo imposterum regnum nostrum ex isto latere sit perpetuam pacem habiturum, ac ipse Serenissimus Dominus Imperator ab alys separatus, et nobis colligatus, omnibus rebus nostris publicis et priuatis fauorem sit praestiturus; cum autem his peractis adhuc supersit differentia regni Bohemiae et pertinentiarum eius, de consilio Praelatorum et Baronum nostrorum nobiscum existentium, statuimus etiam illi rei ita prouidere, ac in persona propria nos illac conferre, vt post tot labores et impensas etiam de statu illius regni nostri aliquid concludatur, ex quo futura vtilitas et quies nostra et regni nostri subsequatur; super quibus omnibus latius vobis declarandis deliberauimus, in medium vestri Consiliarios nostros cum plena informatione transmittere: Quare fidelitates vestras rogamus, ysque seriosius committimus, quatenus duos ex vobis cum plena informatione Budam ad festum B. Valentini proxime futurum transmittere debeatis, acturos ea, quae auctoritatibus et vtilitatibus regni nostri sunt profutura. Secus non facturi. Datum in Korneuburg feria secunda proxima ante festum Natiuitatis Domini. Anno eiusdem MCCCCLXXVII. Regnorum nostrorum anno Hungariae etc. vigesimo, Bohemiae vero nono."

Ex Archiuo Excel. Camerae.

*XLI. Comitatus Verőcze, non dicitur in regno nostro Sclauoniae. A.* 1480.

Mathias, Dei gratia, Rex Hungar. Bohemiae etc. Fidelibus nostris vniuersis et singulis Nobilibus ac alterius cuiusuis Status et conditionis possessionatis hominibus, Comitatus de Verücze, sa-

lutem et gratiam. Intelleximus non sine displicentia, quomodo nonnulli essent ex vobis, qui antiqua consuetudine illius Comitatus abuti coepissent, sedemque Communitatis vestrae, et eius celebrationem penitus neglexisse dicuntur; propter quod causantibus plerumque iustitia denegatur, et mandata nostra, si quando in medium vestri perueniunt, de facili negliguntur. Vnde Fidelitati Vestrae harum serie firmiter praecipien. mandamus, quatenus acceptis praesentibus, omnes tales negligen. nomine nostro moneatis, vt seruata consuetudine vestra antiqua, sedes vestras in terminis et locis consuetis semper intrare, et communiter celebrare debeant. Vt per hoc causantibus iustitia exhibeatur, mandataque nostra exequantur, dum venerint, sine mora. Quoniam alioquin commisimus et praesentium serie firmiter committimus, fidelibus nostris Magnificis Nicolao et Jacobo Banffy, Comitibus vestris, vel eorum Vice-Comitibus, vt ipsi omnes tales, qui ex vobis sedem iudiciariam visitare, vel officiales eorum ad eandem mittere negligerent, ad praemissa mandata nostra obseruanda, per poenam trium marcarum aureor. compellant, et adstringant auctoritate nostra, praesentibus in hac parte concessa, mediante. Aliud ergo nullus omnino vestrum facere praesumat. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Zagrabiae feria sexta proxima post festum Beati Francisci Confessoris. Anno Domini MCDLXXX. regnorum nostrorum Anno Hungariae vigesimo tertio, Bohemiae vero duodecimo." "Ad relationem Thomae de Erdeüd."

**Ex originalibus exscripsit Kaprinai MSS. sub B. p. 137. nro LXXXVI.**

*XLII. Castrum Verőcze, cum Comitatu, in regno Sclauoniae censetur. A. 1488.*

Nos Mathias Dei gratia Hungariae Bohemiae etc. Rex. Duxque Austriae, memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit vniuersis. Quod fidelis noster Magnificus Nicolaus, filius Bani de Alsó Lindva, Maiestatis nostrae veniens in praesentiam, in sua et Jacobi, Fratris eiusdem carnalis, personis Maiestati nostrae exponere curauit in hunc modum: Quod quamuis nos superioribus annis castrum Verőcze vocatum, in regno nostro Sclauoniae, et in Comitatu Vereucze habitum, ac oppidum similiter Vereucze appellatum; cum honore praedicti Comitatus de Vereucze, eidem castro ab antiquo annexo, ac possessiones Gerkoulcz, Dobonyk, Busovcz, Nethecz Athák, Zelcz, Zthopya Kuzmyncz, Kochik, Endreucz, Bór, Kisfalu, Lanku, Budroucz, Zornyaneucz, Stephanoucz, Ugerczy, et Szent Miklós vocatas, omnino in dicto Comitatu habitas, simul cum cunctis vtilitatibus, et pertinentiis quibuslibet praefatis Nicolao et Jacobo, filiis Bani, mediantibus binis Literis nostris tum pro certa pecuniarum summa in eisdem Literis expressa, tum etiam pro fidelibus seruitiis eiusdem Nicolai Banffy in perpetuum contulerimus, et inscripserimus, idemque Nicolaus et Jacobus, fily Bani, vigore huiusmodi literarum nostrarum inscriptionalium, pariter et donationalium in dominium huiusmodi bonorum iuxta regni nostri Hungariae legem et consuetudinem per nostrum regium, et certi loci credibilis homines sese statui et introduci facere procurauerint; in eorumdem etiam bonorum quieta et pacifica possessione per certa tempora pacifice perstiterint; quia tamen nos superioribus diebus

vniuersa bona et possessiones per mortem et defectum seminis quondam Ladislai de Marczal, ad Maiestatem nostram deuoluta et inter alia etiam castrum praescriptum cum vniuersis suis pertinentiis Illustri Joanni Duci Oppauiens. Nato nostro carissimo, contuleramus: ob hoc idem Joannes Dux, vigore literarum, nostrarum donationalium superinde confectarum, ipsos Nicolaum et Jacobum, filios Bani, de pacifica possessione huiusmodi castri et suarum pertinentiarum eiicere vellet et exturbare; quapropter supplicauit nobis idem Nicolaus, filius Bani, in sua, vt praefertur, et dicti Jacobi fratris eiusdem personis similiter, vt et considerationem suorum seruitiorum habere dignaremur, et eos de castro et suis vniuersis pertinentinentiis, de Clementia et pietate nostra regia per quempiam eiici et exturbari non pateremur. Vnde nos habentes considerationem fidelitatis et seruitiorum eiusdem Nicolai, filii Bani, per eum sacrae imprimis regni nostri Hungariae Coronae, deinde Maiestati nostrae, in cunctis rebus et expeditionibus bellicis tam aduersus Turcos, communes hostes fidei, et Bohemos haereticos, quam etiam Alemannos, nostros et Jurium regni nostri turbatores, instauratis, et alias, prout vel nostri regii status vel rerum gerendarum conditio tulit, non parcendo personae rebusque et expensis suis, cum graui et copiosa sanguinis sui effusione, constantissime exhibitorum, admissa supplicatione ipsius Nicolai, fily Bani, onereque et grauamine praefati Joannis Ducis, nati Nostri, per omnia in Nos assumto, omne ius illud, omnemque Juris proprietatem, si quod et quam idem Joannes Dux, vigore praescriptae Donationis nostrae in castro et suis pertinentiis praescriptis, habet vel se in futurum habiturum

speraret, in praefatos Nicolaum et Jacobum, filios Bani eorumque haeredes et posteritates vniuersos, duximus transferenda, eosdemque non obstante praescripta donatione nostra, qua mediante bona praescripta dicto Duci contuleramus, in pacificam et quietam possessionem eiusdem castri, cunctarumque suarum pertinentiarum, tenuissent, et possedissent, reddidimus, et reposuimus, et nihilominus castrum praescriptum simul cum oppido, Comitatu, eidem adnexo, possessionibusque praescriptis, cum toto, et omni Jure nostro regio, si quod in eisdem et nos quoque qualitercunque haberemus, aut eaedem nostram ex quibuscunque causis vys, modis, et rationibus, concernerent Maiestatem, aliisque cunctis earumdem vtilitatibus et pertinentys quibuslibet, et terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pascuis, pratis, campis, foenetis, siluis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontorys, aquis, fluuys, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et molendinorum locis, generaliter vero quarumlibet vtilitatum et pertinentiarum suarum integritatibus, quouis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis, sub quibus scilicet castrum praescriptum ab antiquo tentum fuisset, et possessum, memoratis Nicolao et Jacobo, filys Bani de Also Lindua, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis, prout etiam prioribus binis literis nostris castrum praescriptum cum vniuersis eiusdem pertinentys eisdem contuleramus, ita et nunc quoque easdem priores Literas nostras in suo vigore relinquen. denuo et ex nouo, ac nouae donationis titulo dedimus, donauimus et contulimus, imo transferimus, reddimusque, et reponimus, nec non damus, donamus, conferimus

iure perpetuo et irreuocabiliter tenend. possidend. pariter et habendas, saluo iure alieno, harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo vt rex Hungariae vtimur, est appensum, vigore et testimonio Literarum mediante. Datum in arce nostra Viennensi, feria secunda, proxima ante festum Beati Gregory Papae Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, octogesimo octauo, regnorum nostrorum Hungariae etc. anno trigesimo I-o Bohemiae vero decimo nono." Mathias rex mp."

Ex iisdem idem Ibid. p. 121. seq. nro LXXV. Quod castrum et Comitatus Veröcze regno Slauoniae isthic accenseantur, erecto Slauoniae altero Banatu, factum fuisse videtur. Literis certe, quibus idem castrum Vereucze, cum Curia Nobilitari in possessione Possahegye, a Jaanne Bánfi de Alsó Lindva ob notam ablatum Annae reginae Ferdinandus I. R.H. anno Domini 1527. die Dominico post festum S. Andreae Strigonii datis, contulerat, non dicitur vltro in Slauonia. Nec in illis, quibus anno eodem feria tertia proxima ante festum B. Thomae arcem, oppidum Vereucze cum honore Comitatus cognominis, Spectabili ac Magnifico Joanni Comiti Corbauiae, Dalmatiae Crotiae, et Selaoniae Bano contulerat. Ex libro regio MSS. Kaprinai sub B. Tom. XXVIII. p. 26.

*XLIII. Comitatus Crisiensiensis in regno Sclauoniae expresse signatus. A.* 1489.

Mathias, Dei gratia, Hungariae Bohemiaeque rex, nec non Dux Austriae etc. Fidelibus nostris Magnificis, futuro Palatino, nec non Comiti Stephano de Báthor, Judici Curiae nostrae, et Waiuodae nostro Transiluano, item Egregio Thomae Dragfy Personalis praesentiae nostrae Locumtenenti, nec non Bano vel Vice-Banis regni nostri Sclauoniae, praeterea Comitibus et Vice-Comitibus, ac caeteris Juratis nobilibus quorumlibet Comi-

tatuum caeteris etiam alys regni nostri Judicibus et Justitiariis, Ecclesiasticis videlicet et saecularibus, praesentibus et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem et gratiam. Quia nos certis bonis respectibus, rationabilibusque ex causis cupien. prout tenemur, nobis sincere dilectum Nobilem Magistrum Joannem de Tragurio, Statuarium, siue marmorum sculptorem, in quieto, tutoque et pacifico dominio Castelli Majkoucz, in regno nostro Sclauoniae, in Comitatu Crisiensi, habiti, vniuersarumque pertinentiarum suarum, iam pridem memorato Magistro Johanni ex rationibus et causis, in literis nostris donationalibus superinde confectis, contentis et expressatis, de manibus nostris regys donato conseruare et nomine tutorio eundem quietum, et securum reddere, vniuersas lites et causas, si quae forte occasione ipsius Castelli aut suarum pertinentiarum contra eum motae essent, vel temporum in processu coram vobis vel altero vestrum, per quospiam emergerentur, in nos, successoresque nostros reges, suscepimus, suscipimusque per praesentes, ita videlicet: quod si quipiam aliquid iuris circa ipsum castellum habere se sperarent, litesque aduersus ipsum Magistrum Johannem, eiusdemque haeredes mouissent vel mouere vellent; hi non contra eundem, sed contra nos, successoresque nostros requirere, et causam suam prosequi debebunt, quibus omnibus nos inter et extra iudicium respondere, et iuri stare volumus, et ad respondendum nos paratos offerimus. Mandamus idcirco Fidelitati Vestrae praesentium serie firmiter, quatenus a modo in posterum causas huiusmodi, si quae forte coram vobis vel in iudicio vestro per quospiam contra eundem Magistrum Johannem

praetextu ipsius castelli aut suarum pertinentiarum, motae essent, vel deinceps mouerentur, coram vobis, acceptare vel in illis procedere nullo modo debeatis. Nos enim, vt praemisimus, omnibus actoribus in iudicio et extra respondere et causas suas iuris ordine et iustitia mediante, defendere volumus: Quo circa ex nunc Fideli nostro Benedicto Borsvay, moderno Directori Causarum nostrarum, futurisque earumdem causarum nostrarum Directoribus, harum serie strictissime praecipimus et mandamus, vt causas factum dicti Castelli et suarum pertinentiarum tangentes, vbique tueri, et defendere, atque Actoribus respondere debeat et teneatur, suique successores debeant et teneantur. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budae feria sexta proxima post Festum Visitationis Beatae Mariae Virginis An. Domini M CDLXXXIX. regnorum nostrorum anno Hungariae etc. tricesimo secundo, Bohemiae, vero vigesimo primo."

Ex originalibus exscripsit Kaprinai MSS. sub B. tomo I. p. 109. nro. LXXI.

*XLIV. Inter dupplicatos Dalmatiae, Croatie ac Sclauoniae Banos, Slauoniae totius nomine, Bani Slauoniae eminent temporibus Ludouici ac Sigismundi. Anno* 1349. 1437.

Anno 1349. Magnificis viris, Nicolao Konth Palatino, Dionysio Wayuoda Transyluano, Leustachio Sclauoniae Bano, Olyuerio Magistro Tauernicorum nostrorum, Nicolao de Zeech totius Dalmatiae et Croatiae, Nicolao de Macho Banis."

A. 1376. Magnificis viris Nicolao de Gara, regni nostri Hungariae Palatino, Stephano Wayvoda Transyl. Comite Jacobo de Scepus, Judice Cu-

riae regiae, Joanne Magistro Tauer. regalium, Petro Zudar totius Sclauoniae, Johanne de Horwathy de Machou, altero Joanne Treutul de Zeurino Banis, inclyto vero Principe Domino Karolo de Duratio Banatum dictorum regnorum nostrorum, Dalm. et Croat. tenente."

A. 1384. Magn. Viris Nicolao de Gara regni Hung. Palatino et Judice Cumanorum, Ladislao Wayuoda Transyl. et Comite de Zonuk, C. Nicolao de Zeech Judice Curiae regiae, Stephano de Lyndua, totius regni Sclauoniae, Stephano, filio Philippi, de Macho, Templino de S. Georgio Dalmat. et Croatiae Banis."

A. 1388. Magn. Viris Stephano Palatino et Judice Cum. Ladislao Wayuoda Transsyl. et Comite de Zonuk, Comite Emerico Bubek Judice Curiae regiae, Ladislao de Losoncz totius Slauoniae, Joanne, quondam Wayuoda, Zeurinen. Dionysio, filio Thomae, de eadem Losoncz. regnorum Dalm. et Croatiae, Nicolao de Gara Machouien. Banis.

A. 1390. Magnificis Viris Stephano Palatino, et Judice Cumanorum, Ladislao Wayuoda Transylu. Comite Emerico Bubek, Judice Curiae regiae, Demetrio similiter Bubek totius Sclauoniae, Dionysio, filio Thomae, regnorum Dalm. et Croatiae, Nicolao de Gara Machouiensi Banis.

A. 1397. Magnif. Viris Domino Detrico Bubek Palatino. Comite Albensi, Stiborio de Styborycz Wayuo. Transyl. ac C. Francisco (Frank) filio quondam Konya Báni, de Zechen, Judice Curiae regiae, Nicolao de Gara, regnorum Dalm. Croat. ac totius Sclauoniae, Francisco, filio

quondam Comitis Stephani Bebek, Machouien. Banis, Banatu Zeuriensi vacante.

A. 1400. MM. Viris Detrico Bubek regni Hung. Palatino, Stiborio de Stiborycz Way. Trans. et C. de Zonuk, C. Frank, filio quondam Konya Bani, Judice Curiae regiae, Nicolao de Gara Dalm. Croat. Et totius Sclauoniae, Francisco Bubek, et Joan. de Maroth Machou. Banis, honore Banatus Zeuriensis vacante.

A. 1406. MM. Viris Nicolao de Gara, regni Palat. Joanne et Jacobo Wayu. Trans. C. Frank., filio Konyae Bani, Judice Curiae regiae, Paulo Bysseno et altero Paulo de Peeth Dalm. Croat. et totius Sclauoniae; Joann. de Maroth, Machou Banis, honore Banatus Zeurin vacante.

A. 1410. MM. Viris Nicolao de Gara regni Hung. Palat. Stiborio de Stiborycz Wayu. Trans. C, Simone de Rozgony, Jud. Cur. regiae, C. Paulo de Corbauia Dalm. et Croatiae, Ladislao, et Emerico, filys quondam Bartholomaei de Wylak Machon. Banis, totius Sclauoniae, et Zeurien. Banatibus vacantibus.

A. 1430. MM. Viris Nicolao de Gara regni Palat. Hermanno Cyliae, Zagoriae comite, regni Sclauoniae Bano, Ladislao de Chák Way. Trans. Comite Mattyus de Palocz, Judice Curiae regiae, Nicolao C. Wegliae et Mudrusiae. Dalm. et Croat. regnorum nostrorum, Petro Check de de Leva. Machow. Banis honore Banatus Zewrini vacante.

A. 1435. Honore Palatinatus vacante, Sp. ac Mag. Hermann Ciliae et Zagoriae Comite, totius regni Sclauoniae Bano, C. Mattyus de Pallócz Judice Curiae regiae, Ladislao de Chak Way. Trans. Joanne et Stephano, Weglae,

Segniae, et Modrussiae Comitibus, regnorum Croat. et Dalm. Desew et Ladislao Gara Machovien. Nicolao Radvycz, Crucifero ord. Rhodiorum, Zewrin. Banis.

A. 1436. MM. Matthus de Palocz, regni Hungariae Palat. Ladislao de Chaak Wayw. Transil. Stephano de Bátor Judice Curiae regiae, Matko de Thallou cz, totius Sclauoniae, Joan. et Stephano Frangepan, Wegliae, Segniae, Modrussiae Comitibus, regnorum Dalmat. Croatiae, Deseu et Ladislao de Gara, Machow. Banis, honore Banat. Zewrien. vacante etc. etc.

Quamobrem in Samuelis Timon oportet nos abire sententiam, aduertentis: „Vngariae Reges, Belam IV. sequentes ducem, Dalmatiam, Croatiam, et Sclauoniam. peculiari vno nomine vocabant Sclauoniam, praefectosque omnium trium earum regionum, Banos totius Sclauoniae nuncuparunt; quod seruabatur etiam postquam Carolus (rectius Ludouicus) Croatiae Dalmatiae ac Sclavoniae, peculiares dedit praesides; potior subin Slauoniae, quam Dalmatiae ac Croatiae Banorum auctoritas. Imago nouae Hung." cap. XVII.

*XLVI. Praepositura S. Petri de Posega Dioeceseos Quin-Ecclesiensis, non Zagrabiensis. A.* 1449. 1454.

Nos Frater Vitus Ordinis etc. Dei et Ap. Sedis gratia, Episcopus Bodonensis; Suffraganeus Reuerendi in Christo Patris et Domini Domini Nicolai, eadem Dei gratia et Apostolica Episcopi Quinqueecclesiensis, significamus tenore praesentium quibus expedit vniuersis: Quod cum nos in anno Domini MCCCCXLIX. SS. Patrum vestigiis inhaerentes, Jurisque ordine obseruato, Sabbatho, quatuor temporum, quo cantatur officium Intret ex permissione et mandato praefati venerabilis Patris Domini Nicolai Episcopi, sua in Ecclesia kathedrali, inuocata Spiritus Sancti Gratia, sacros Clericorum ordines celebrassemus; tandem Thomam Nicolai de N. Plebanum S. Martini de N. pro-

fectum in artibus, per honorabilem virum Dominum Jo. Praepositum Ecclesiae Sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis dyocesis, nobis presentatum, diligenti et matura examinatione prehabita, inuentum idoneum, et abilem, ad laudem Dei omnipotentis, ad ordinem subdyaconatus paternali cum fauore duximus promouendam. In cuius rei testimonium etc.

Nos Vitus Dei et ap. Sedis gratia Episcopus Bodoniensis, suffraganeusque Quinqueecclesiensis, recognoscimus per presens scriptum: Quod nos obligamur Egregio Domino Magistro Paulo Sancti Petri in Posega Praeposito, nec non huius kathedralis almae sedis Vicario, ratione mutui XLII. florenos auri, quos soluemus. Cuius rei testimonium sigillo nostro proprio digne duximus hanc paginam muniendam. Datum Dominica proxima post festum S. Laurenty Martyris Anno Domini MCCCCLIV."

E Codice MS. Claustroneuburgensi, seculo XV. emanato in 4-to signato M. I. Castrum Posega, a Joanne Horváthy infidelitatis ac perduellionis nota ademtum, ac Nicolao de Ujlak collatum, per defectum seminis, post obitum Laurentii de Eadem Ujlak, M. Ladislao More consiliario regio per Ferdinandum regem A. 1529. feria quarta proxima ante festum Beati Barnabae Apostoli cum iure patronatus Abbatiae de Gotho Ord. S. Benedicti collatum fuit. E libro regio.

*XLVII. Comitatus de Posega ad diaetam Budae celebrandam duos ex suis nuncios mittere iubetur. Anno* 1477.

Mathias Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. Fidelibus nostris Vniuersitati Nobilium Comitatus de Posega, salutem et gratiam. Intelligere potuit Fidelitas vestra, quanta Serenissimus Dominus Imperator vna cum primogenito regis Poloniae, et alys sibi adhaerentibus, contra regnum nostrum

moliebatur, etiam praedas et incendia et alias hostilitates in regno nostro inchoarat, maiora in dies machinaturus, propter quod Nos tantis iniurys et periculis imminentibus prouocati, et si prius omnes conditiones pacis obtulerimus, non ultro, sed coacti ipsis occurrimus, et Deo, opitulante ac vestris subsidiis interuenientibus, ea, quae hostis noster in terra nostra agere volebat, in terris suis perfecimus, et per hoc ipsum Serenissimum Dominum Imperatorem, vna cum consilio Praelatorum et Baronum nostrorum, ad tales articulos pacis dedumus, vt a modo imposterum regnum nostrum ex isto latere sit perpetuam pacem habiturum ac ipse Serenissimus Dominus Imperator ab alys separatus, et nobis colligatus, omnibus rebus nostris publicis et priuatis, fauorem sit praestiturus; cum autem his peractis adhuc supersit differentia regni Bohemiae et pertinentiarum eius de consilio Praelatorum, Baronum nostrorum, nobiscum existentium, statuimus, etiam illi rei ita prouidere, ac in persona propria nos illac conferre, vt post tot labores et impensas, etiam de statu illius regni aliquid concludatur, ex quo futura vtilitas et quies nostrae et regni nostri subsequatur. Super quibus omnibus latius vobis declarandis, deliberauimus, in medium vestri consiliarios nostros cum plena informatione transmittere. Quare Fidelitates Vestras rogamus, ysque seriosius committimus, quatenus duos ex vobis, cum plena informatione, Budam ad festum B. Valentini, proxime futurum, transmittere debeatis, acturos ea, quae auctoritatibus et vtilitatibus regni nostri sunt profutura. Secus non facturi. Datum in Korneuburg feria secunda proxima ante festum Natiuitatis Domini. Anno eiusdem 1477. Regnorum no-

strorum Anno Hungariae etc. vigesimo, Behemiae vero nono."

Ex archiuo Excel. Camerae.

*LXVIII. Jus instituendi ac destituendi Prothonotarii Banalis Slauoniis restituitur. A.* 1438.

Nos Matkó de Talloucz, annotatorum regnorum Banus, memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis, quod nobis feria proxima ante diem diei mediae Quadragesimae Crysy vna cum Nobilibus existen. ydem Nobiles inter alias dispositiones, per nos cum ipsis ibidem pro communi bono factas, nobis studuerunt declarare: Quod nempe ipsi multorum regum Hungariae Dominorum ipsorum naturalium, et Banorum eiusdem regni Sclauoniae, nostrorum scilicet praedecessorum, temporibus, Prothonotarios seu sigillorum conseruatores, Banorum, in ipso regno pro tempore constitutorum, pro iustitia communi ministranda elegerint et eligere consueuerint; tamen a quibusdam retroactis annorum Curriculis Bani, nomine regni, eosdem Nobiles de huiusmodi eorum consuetudine, in electione Protonotariorum praedictorum, modo praeuio obseruata, arcuissent, et ipsimet huiusmodi protonotarios, seu sigillorum eorum conseruatores, indicta sede Crisiensi, elegissent; ex quorum quidem protonotariorum, per ipsos Banos electorum, fauorosis processibus saepe numero sub considentia eorum ipsi Nobiles, praemissa ipsorum consuetudine priuati et orbati, ipsos Protonotarios, culpis suis requirentibus de huiusmodi eorum officiis, more alias consueto, remouendi habuissent facultatem, in discussione causarum ipsorum — data scandala, euenissent, et multi pauperes Nobiles,

ipsius regni Sclauoniae, damna et praecipue iurium eorum alienationem, percepissent, dum si per amplius, praefata eorum antiqua consuetudine et electione ipsorum Protonotariorum, vt praedicitur, obseruata priuarentur, formidarentur, multis ex eis maiora scandala, peiora prioribus in futurum in suis iuribus posse euehire. Quibus, sicut praefertur, declaratis ydem Nobiles nobis, tanquam personam Serenissimi Principis, Domini nostri, Dei gratia, romanorum regis semper Augusti, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regis, Domini nostri naturalis repraesentantibus, supplicarunt, vt ipsis circa praemissa de remedio, iuri consono, dignaremur prouidere. Nos itaque, qui inter alias ipsius regiae Maiestatis sollicitudines, curas et curarum peruigiles instantias, per nos de ipsius regiae Maiestatis commissione et annuentia, speciali expedien. ad huiusmodi rem publicam, commune bonum, concernen. curam sollicitam tenemur exhibere; eorumdem Nobilium declarationibus praemisso ordine factis, auditis et intellectis, proin huiusmodi Protonotarios, seu conseruatores sigillorum, timore priuationis huiusmodi officiorum suorum percul. eorumdem Nobilium causarum processibus, et mera iustitia ministran. magis, eisdem Nobilibus Comitatus Crisien. annuen. et conceden. imo annuimus et concedimus, vt videlicet a modo in posterum futuris temporibus vniuersis, iuxta eorum antiquam consuetudinem, quae per quosdam ipsius regni Sclauoniae Banos, vt praefertur, a quibusdam praecedent. temporibus priuati et destituti fore perhibentur, Protonotarios, seu conseruatores sigillorum, pro discussione causarum ipsorum, eis per nos et futuros eiusdem regni Sclauoniae Banos assignatarum, et

assignand. eligendi et tandem culpis huiusmodi Protonotariorum exigen. eosdem de huiusmodi eorum officys remouendi, liberam habeant facultatem. In cuius rei memoriam praesentes Literas nostras sigillo nostro impendenti communitas eisdem Nobilibus duximus concedendas. Datum Chrysy, praedicta tertia die termini praenotati anno Domini MCDXXXVIII.“ L. S.

Ex originali exscripsit Kaprinai MS. sub B. tomo IV. nro LXVII. p. 194. sq. Fundata est haec concessio in regum Ludouici ac Sigismundi constitutione, quam vide Cod. Dipl. tomo X. Vol. II. p. 622. Jus illud Mathias Coruinus ad ius regium reuocauit, contradictione Sclauoniorum non obstante.

*XLIX. Priuilegium Salis pro Sclauoniis. A.* 1481.

Nos Mathias, Dei gratia, Rex Hungariae, Bohemiae etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod nos tum ad nonnullorum supplicationem, Maiestati nostrae pro parte, et in personis Fidelium nostrorum, vniuersorum regnicolarum, regni nostri Sclauoniae, propterea factam, tum etiam pro commodo, et vtilitate eorumdem, id ipsis gratiose duximus annuendum et concedendum, vt ydem vniuersos illos sales, quos ipsi de quibuscunque Cameris salium nostrorum pretio vel aliter qualitercunque gratia questus, aut alia de causa, leuauerint, vel leuassent, extra loca, seu cursus Camerarum nostrarum, vbique liberae venditioni exponere valeant, atque possint; quin imo annuimus, et concedimus, praesentium per vigorem. Quocirca vobis Fidelibus nostris, et singulis Camerarys, et Vice-Camerarys praedictorum salium nostrorum, vbiuis in dicto regno nostro Sclauoniae constitutis,

et existentibus, praesentium notitiam habituris, harum serie firmiter praecipientes, committimus et mandamus; quatenus praescriptos sales per dictos regnicolas nostros, de ipsis Cameris nostris leuatos, eisdem vbique libere et sine aliqua contradictione vendere, et venditioni exponere, permittere, et permitti facere debeatis et teneamini; nec ipsos contra formam praesentis nostrae annuentiae, in personis rebusque et bonis eorum quibuscunque, propter venditorem huiusmodi salis impedire, turbare, molestare, seu quouismodo damnificare praesumatis gratiae nostrae obtentu. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis." Datum Budae in festo Sanctae Margarethae Virginis. Anno Domini M.CD LXXXI-o regnorum nostrorum Hungariae etc. anno vigesimo quarto, Bohemiae verò tredecimo." L.S.

Ex originalibus exscripsit Kaprinai MSS. tomo IV. sub B. pro XLVII. p. 130.

*L. Decimae Episcopo Zagrabiensi a dioecesanis Comitatuum Sclauoniae competunt. A.* 1474.

Nos Mathias, Dei gratia, Rex Hungariae, Bohemiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes, quibus expedit vniuersis. Quod licet nobis alias de anno Domini millesimo quadringentesimo, sexagesimo sexto, vna cum praelatis et Baronibus nostris, in oppido nostro Crisiensi constitutis, orta dissensione, super exactione decimarum inter fideles nostros, reuerendum in Christo Patrem, Dominum Osvaldum, Episcopum Zagrabiensam ac Nobiles et incolas regni nostri Sclauoniae, praefatoque Domino Osvaldo Episcopo ab vna, nec non Nobilibus viris Nicolao Adae de Szent Lélek, Ladislao de Gereben, Paulo Mikehec, Ladislao Hergfi, Petro Konszkay, Mat-

thueo Kroszther, Petro Byksady, Stephano Byczkele, et Ladislao Vitézfi, se ipsos ac ipsum regnum nostrum Sclauoniae, totamque dioecesim Zagrabiensem repraesentant. cum sufficienti mandato ex altera partibus, coram nobis constitutis, partiumque propositionibus et allegationibus auditis, intellectisque iuribus et priuilegiis Ecclesiae Zagrabien. nobis per ipsum Dominum Episcopum tunc in specie productis, iudican. decreuimus, et commiseramus, vt vniuersae decimae, quae de bonis incolarum praefati regni nostri dictae Ecclesiae Zagrabien. et ipsi Domino Episcopo prouenire deberent, iuxta consuetudinem antiquam Praedecessorum nostrorum, Dominorum Regum Hungariae, temporibus obseruatam, soluerentur; ita videlicet, vt de singulis capetiis frumenti, siliginis, hordei, auenae, mily, Borköles dicti, ac surgonis, sex denarios, quorum centum valerent vnum florenum, vsque festum B. Martini, singulis annis decimatoribus praefati domini Episcopi soluere debuissent, et pro singulis cubulis, vini denarios eosdem prout vinum in nouo in villis maioribus communiter valeret. Quicunque autem ipsam solutionem vsque dictum festum non fecissent, vt praedicitur, tunc quamlibet capetiam, et cubulum vini cum augmento duorum denariorum soluere tenerentur, cum extunc bladum et vinum maioris efficiatur valoris experientia hoc probante. Decimae autem porcornm annualium et infra, qui scilicet alias decimati non fuissent, et de edis medium denarium, vel eodem modo decimam, sicuti fuisset alias consuetum. Illi autem, qui nihil in messe habuissent, duobus denarys fummalibus tenerentur. Postea tamen incolae, et Nobiles praefati regni

nostri Sclauoniae decimas anni praeteriti modo superius expresso, iuxta moderationem et limitationem in priuilegiis diuorum Hungariae regum contentam, et nostram Judiciariam commissionem, per populos et Jobbagyones suos persolui facere noluissent. Quamobrem praefatus Dominus Osvaldus Episcopus dictis incolis et Nobilibus Comitatuum praedictorum, tanquam indebitis decimarum retentoribus, ecclesiasticum interdictum vbique imposuisset, a quo ipsi ad Apostolicam sedem appellassent. Cum igitur percepissemus ratione praemissarum decimarum coeptam semel et extinctam litem iterato renouari; et in hoc non solum partibus ipsis graues impendere labores et expensas, sed consuetudini et libertati regni nostri non mediocre praeiudicium irrogari; cupientes penitus et in toto litem hanc inter partes praedictas extinguere, et consopire, praecipue vero, ne ipse Dominus Episcopus et sui successores huiusmodi litibus amplius impediti, maioribus regni nostri negotiis incumbent. libere vacare nequeant, commiseramus partibus praedictis, vt iterato in Dominica ramis palmarum, proxime praeterita, coram nostra Maiestate ac Dominis Praelatis et Baronibus regni nostri comparere debuissent; ad quem terminum etiam vsque in praesentem feriam quartam próximam, ante festum B. Georgy Martyris, incolae et Nobiles dicti regni nostri Sclauoniae Comitatuum praedictorum, sufficienter per nos exspectati, nostram in praesentiam non venerunt, neque miserunt, ipsoque Domino Osvaldo Episcopo coram nostra Maiestate assiden. ac reuerendissimis, reuerendis in Christo Patribus, Joanne Episcopo Ecclesiae Agriensis, et postulato Strigonien. Gabriele Archiepiscopo Colocensi, altero Gabriele

Alben. Transyluanien. Alberto Weszprimien. Demetrio Jaurien. Joanne Chanadien. Ecclesiarum Episcopis; ac Michaele Országh de Guth, regni Hungariae Palatino et Judice Cumanorum, Emerico Zapolya, Comite Terrae Scepusien. Comite Stephano de Bathor, Judice Curiae nostrae, Joanne Ernst summo Thesaurario nostro, et praedicti regni nostri Sclauoniae Bano, Emerico de Palócz, Agazonum nostrorum regalium Magistro, Joanne Comite de Bozyn et de S. Georgio, et Ladislao de Marczaly Com. Comitatus Simig. Nos interim et de nouo visis et examinatis literis, et iuribus Ecclesiae Zagrabien. per ipsum Dominum Episcopum coram nobis in specie productis, comperimus praefatos incolas et Nobiles dicti regni nostri Sclauoniae, Comitatuum praedictorum, iniquas et indebitas lites contra ipsum Dominum Episcopum suscitasse. Ideo nos praefatorum Dominorum Praelatorum, et Baronum nostrorum maturo superinde quaesito et audito consilio, authoritate nostra regia eisdem incolis et Nobilibus vniuersis, praemissae litis excitatoribus, perpetuum silentium imposuimus, iudicantesque commisimus, vt ipsi incolae et Nobiles ab vlteriori prosecutione causae praenotatae, occasione praemissorum, publice contra libertatem regni nostri, in manifestam Ecclesiae Zagrabien. iniuriam, seu iacturam motae, penitus cessare, et supersedere debeant, et teneantur, praefatasque decimas ipsi incolae et Nobiles praenotati secundum moderationem et limitationem, in priuilegiis ipsorum Diuorum regum contentam, et adiudicationem nostrae Maiestati prius factam, temporibus debitis, videlicet fruges praedictas statim post messem et vinum ac milium post vindemiam, semper dicare admittere, et usque ter-

minum in litteris priuilegialibus expressatum, ipsi Domino Osvaldo Episcopo, ac suis successoribus episcopis, temporibus perpetuis, sine vlla contradictione, exsolui facere debeant et teneantur, cum effectu. Decimas vero anni praeteriti, indebite retentas, eidem Domino Episcopo plenarie persoluant. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras secreto sigillo nostro, quo vt rex Hungariae vtimur, impendenti communitas, duximus concedendas et penes sigillum nostrum etiam sigilla dictorum Dominorum Praelatorum et Baronum nobiscum in examine ipsius causae assiden. appensa sunt vberiorem ad cautelam. Datum Budae praedicta feria quarta proxima ante festum Beati Georgy Martyris. Anno Domini MCCCCLXXIV. Rsgnorum autem nostrosum anno Hungariae etc. decimo septimo Bohemiae vero quinto."

Ex processu Judiciario inter Episcopos Zagrabiens. et Quinqueecclesiens. Anno 1717. agitato. Has Mathiae regis de decimis Episcopo Zagrabiensi pendendis literas ad preces Simonis Episcopi Zagrabien. confirmauit Rex Ludouicus Anno 1519. Budae feria tertia proxima post festum S. Stanislai Episcopi et Martyris. In archiuo Camerali.

*LI. Praeter antiquum Slauoniae Banum, nouus Sclauoniae Banus Nicolaus de Ujlak. A.* 1464.

Mathias Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque rex, omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire: Quod pro parte et in persona fidelis nostri, Nobilis Andreae de Bory exhibitae sunt Maiestati

nostrae quaedam literae nostrae secreto sigillo nostro, quo ante coronationem nostram vtebamur, impressiue consignatae etc. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Stephani Colocen. et Bachien. Ecclesiarum Archiepiscopi, Locique eiusdem Colocen. Comitis Perpetui, Aulae nostrae summi Cancellary fidelis nostri dilecti, Anno Domini Millesimo, quadringentesimo, sexagesimo quarto, tredecimo die kalendas Augusti, regni nostri anno septimo, coronationis vero primo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Dionysio de Zeech, Cardinali Strigoniensi, eodem Domino Stephano Colocen. Archiepiscopo, Ladislao Agrien. Johanne Varad. Vincentio Vaczien. Alberto Chanadien. Nicolao Transyluanien. Zagrabien. sede vacante, Johanne Quinqueecclesien. Alberto Weszprimien. Augustino Jaurin. Thoma Nitrien. Bosnensi sede vacante, Vrbano Sirmien. Marco Tinninien. Segniensi sede vacante, Nicolao Modrussien. Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnifico Michaele Országh de Guth, regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Emerico de Zapolya, regni nostri Bosniae Gubernatore, Nicolao de Vylak et Johanne Pongracz de Dengelegh Vayvod. Transyluanen. Comite Ladislao de Palócz, Judice Curiae nostrae, eodem Emerico de Zapolya Dalmatiae, Croatiae, nec non Sclauoniae Regnorum, et praefato Nicolao de Vjlak eiusdem Sclauoniae et Machouien. Banis, honore Banatus Zewriniens. vacante, Johanne de Rozgony Tauernicorum, Benedicto de Thurocz Janitorum, Nicolao de Also Lindva, et Emerico de Palocz praefato Pincernarum, Stephano de Perin et Ladislao de Báthor, Dapiferorum, Ladislao de

Kanisa et Bertholdo Eldenboch de Monyorokerek Agazonum nostrorum Regalium Magistris, Andrea Pankyrcher, Posonien. et Petro de Zokol Temesien. Comitibus, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores." L. S. pend.

Ex originali in archiuo Camerali existent.

*LII. Castrum et Comitatus Vereucze in Hungaria non in regno Sclauoniae. Anno 1474.*

Nos Mathias, Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae, etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod Nos, qui regia nostra liberalitate bene meritorum obsequia dignis retributionibns recompensare soliti sumus, consideratis fidelitate et fidelibus seruitiis Fidelis nostri, dilecti, Magnifici Nicolai Bani, de Also Lindva, Comitis Posoniensis, quae non ad peregrinam laudem, sed ad visum et circumspectionem propriae nostrae industriae, nobis regnoque et Coronae exhibita esse merito dicere possumus, et fateri; is adhuc adolescens se seruitiis nostris implicuit, et nos secutus est, nec discessit quoad potuit et licuit, a latere nostro, curam etiam habens personae nostrae, dum in domibus nostris semper versaretur, omnia, quae ad salutem corporis et personae nostrae, pertinuerunt, iuxta modulum aetatis suae prudenter prouidit, in cunctis etiam alys rebus nostris, fidei suae commissis, omnem fidelitatem, et diligentiam nobis ostendit, et vbi viribus et prudentia creuit, in exercitys militaribus ac alys arduis negocys, Curiae nostrae decus esse coepit, Legationes adiit, et praecipue duas vias magnas et laboriosas, pro Nobis et regno fecit. Primam cum Reuerendo Georgio Praeposito Quinqueecclesiensi ad Serenissimum

Principem Dominum Ferdinandum, regem Neapolis, alteram cum venerabili quondam Johanne de Rabenstein, Praeposito Wyssegradiensi, ad Ducem Mediolani, semper in facto fidei et rebus nostris ac regni, vnde iuxta votum nostrum optatas reportauit relationes; in exercitibusque nostris contra inimicos et rebelles nostros instauratis, interfuit, maxime in expeditione contra Stephanum, Wajwodam Moldauien. vbi pro salute personae nostrae viriliter et strenue agens, plura pro nobis, prope mortalia, vulnera suscepit, et mori, si fortuna voluisset, non dubitabat; ex post vero, dum in Morauia pro populo catholico contra damnatos haereticos, Hussitas, pugnassemus, nobiscum interfuit, vbi officium strenui militis prae se ferens, contra eosdem Haereticos, penes Maiestatem nostram inter alios aulae nostrae milites, fortiter et viriliter pugnauit; postremo in proxime praeterita hyeme, nobis in confinibus huius regni nostri partibus contra quosdam nostros et regni hostes pugnantibus, qui ipsa confinia ipsius regni nostri hostiliter inuaserunt, et nonnulla castella et fortalitia, in maiorem ipsius regni nostri deuastationem, erexerunt, dumque huiusmodi eorum fortalitia oppugnaremus, ipse Nicolaus interfuit, et vsque ad eorum expugnationem Nobiscum perseuerauit, vbi multa egregia facinora fecit. Pro quibus Nos volentes eidem aliquam gratitudinis vicem rependere, cum in futurum amplius intendamus, castrum nostrum Vereucze vocatum, in Comitatu de Vereucze habitum, quod alias ex iniuria et mala prouisione quondam Egregii Joannis, fily Wayuodae, de Marczal, traditioneque familiarum eiusdem in manus nonnullorum aemulorum nostrorum, signanter Magnifici Bertoldi Eldenbach, tunc nobis

rebellantis, deuenisset, quodque castrum Nos propter euitanda maiora incommoda et pericula, quae tunc ex ipso castro sic periclitato ab ipsis aemulis nostris regno Sclauoniae euenire et accidere poterant, ab eisdem aemulis nostris non sine magna summa pecuniarum redimere debuimus, redemtumque Magnifico quondam Nicolao Csupor, Vayuodae Transyluanensi, pro fidelibus seruitiis eiusdem donaueramus, sed per defectum seminis eiusdem condam Nicolai Csupor rursum ad nos et collationem nostram deuolutum extitit, simul cum TT. possessionibus, et pertinentiis, in Comitatu Verucze existentibus, donauimus, contulimus harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Datum Budae in festo Pentecostes Anno Domini MCCCC LXXIV. Regnorum nostrorum Hungariae etc. decimo septimo, Bohemiae vero sexto." Matthias Rex manu propria.

Ex originali archiui Cameralis.

*LIII. Comitatus Sirmiensis non in Sclauonia, sed in Hungaria,* 1477.

Nos Mathias Dei gratia Rex Hungariae, Bohemiae etc. memoriae commendamus, tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis: Quod tametsi regiae congruat Maiestati, et suscepti regiminis generale exposcat officium, singulum quemque subditorum de se et regno suo bene meritum gratiis beneficysque et munificentiae suae bonis prosequi et gratiose amplecti; librata tamen laborum et meritorum quantitate, illos regia liberalitas abundatioribus gratiarum praerogatiuis, splendidioribusque titulis et muneribus conciliare et extollere debet, qui et sanguinis generositate, clarent, et rerum gestarum praeclarorumque facino-

rum magnitudine se inter caeteros illustriores, clarioresque reddere studuerunt. Sane itaque consideratis integerrima fide, praeclaraque fidelitate, et variis seruitiorum generibus, fidelis nostri dilecti, Magnifici Comitis Stephani Bathor, Judicis Curiae nostrae, quae ipse sacrae imprimis regni nostri Hungariae Coronae, tandemque Maiestati nostrae ab ineunte nostra aetate, et potissimum post susceptam nostrae regalis dignitatis curam, lateri nostro absque vlla intermissione adhaeren. non parcendo personae, rebusque et expensis suis, sub locorum, et temporum varietate, subque fortunae casibus vtrisque, prout vel temporis vel nostri status conditio tulit, cum copiosa sanguinis effusione, commissisque cum laboribus, praesertim vero in conflictibus et pugnis acerrimis, bellisque et exercitibus tam aduersus Turcos, totius fidei catholicae et religionis christianae hostes immanissimos, quam etiam Bohemos haereticos, aliosque nostros et regni nostri aemulos, saepe numero instauratis, nec non in expugnatione diuersorum castrorum et fortalitiorum ciuitatumque et aliorum locorum munitorum, tam in prouincys Turcorum, quam etiam in Bohemia, Morauia et Silesia per nos facta, idem Comes Stephanus cum omni fidelitatis constantia, et solicitudine indefessa exhibuit, et impendit. Inter quaequidem praeclara sua seruitia et merita, facinoraque egregia et gesta magnifica, vt alia, quae plurima sunt, omittamus, haec, quae nouissime peregit potissimum, cum animum nostrum inter caetera non mediocriter moueantur, specialiter recensere, et breui perstringere sermone dignum duximus: superiori siquidem anno, cum post obsidionem castri Szabatz, quod fauente Deo a Turcis gloriose expugnauimus,

cui quidem expugnationi idem Comes Stephanus non modo interfuit, verum etiam totis animi et corporis sui viribus affuit, feliciter Budam reuersi fuissemus, et inter alias varias curas, et sollicitudines nostras, quibus pro statu ct defensione regni nostri impliciti fueramus, et in diuersum agebamur, Serenissimam virginem Beatricem de Aragonia, Sponsam nostram carissimam, ad hoc regnum traducere et solennitati nuptiarum, quas iam tandem auxiliante Deo feliciter celebrauimus, vacare habebamus, Turcorum Imperator, qui Christianorum sanguine satiari nequit, nostram sentiens occupationem, coactis et adunatis vndique viribus et copiis, maxima cum manu Regnumque et prouinciam nostram Moldauiae, cum ope et adiutorio perfidi Bozorad, Wayuodae partium Transalpinarum regni nostri, qui a Maiestate nostra et a sacra Corona defecerat, subintrauit, et totam ferme eam prouinciam ditioni suae subiugauit. Cui etiam propter praefatas curas et occupationes nostras subito personaliter occurrere et obviare non poteramus; Maiestatis nostrae in persona, ipsum Comitem Stephanum de coetu aliorum Fidelium nostrorum ablegantes, praefatum Turcorum Imperatorem fudit et in turpem fugam conuertit, prouinciamque ipsam liberam et nobis pacatam reliquit. Tandem vero fugato et expulso de Moldauia ipso Turcorum Imperatore, de nostra commissione et speciali mandato, se et gentes suas aduersus praedictum Bozorad Vaywodam et Prouinciam Transalpinam conuertit, ibique ipsum Bozarad simul cum reliquiis Turcorum, quas Imperator ipse pro praesidio et defensione ipsius Bozarad, et Prouinciae illius Transalpinae, locauerat, similiter fudit, et profligauit; ac de ipsa prouincia, turpiter

aufugere coegit. Et alterum Wajuodam, quem nos elegcramus in eadem Prouincia fideliter reliquit. Volentes igitur viro tot virtutibus et meritis clarissimo, de Nobisque et republica regni nostri optime merito, regio, vt decet, occurrere cum fauore, et erga eum nostram aliquantisper ostendere munificentiam, Castellum Karon vocatum, in Comitatu Sirmiensi habitum, simul cum oppido Karon appellato, nec non possessionibus T.T. etc. quae alias quondam Magnifici Matthyus de Maroth Bani Machouien. praefuissent, sed et per defectum seminis eiusdem ad sacram dicti regni Hungariae coronam, consequenterque Maiestatem nostram, iuxta antiquam et approbatam regni consuetudinem, rite et legitime deuoluta sunt, simul cum cunctis eorum vtilitatibus et pertinentiis etc. et metis, sub quibus scilicet praefatus quondam Matthyus Banus tenuit, et possedit, memorato Comiti Stephano de Báthor, ac per eum Andreae et Ladislao de eadem Bathor, fratribus suis carnalibus, ipsorumque haeredibus et posteritatibus vniuersis de beneplacita voluntate et consensu Augustissimae Principis Dominae Beatricis praedictae, consortis nostrae carissimae, de manibus nostris regys dedimus, donauimus, et contulimus, imo damus, donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter tenen. possiden. pariter et habenda saluo iure alieno. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Quas in formam nostri priuilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Budae in festo Sacratissimi Corporis Christi. Anno eiusdem MCDLXXVII. regnorum nostrorum anno Hungariae etc. vigesimo, Bohemiae vero nono." LS.

Ex originali Cameralis archiui.

*LIV. Comitatus Veröcze, Posega, Valpo inter Comitatus Hungariae censentur, a Sclauoniaque distinguuntur. A.* 1447.

Nos Johannes de Hunyad, regni Hungariae Gubernator, Dionysius Cardinalis Strigonien. et Johannes Bachien. et Colocen. Ecclesiarum Archiepiscopi, Andreas Quinqueecclesien. Petrus Vacien. Ecclesiarum Episcopi, Ladislaus Agrien. Nicolaus Nitrien. et Raphael Herczeg Bosnen. Ecclesiarum electi, Nicolaus Bodo Praepositus Ecclesiae Albaregalens. Petrus Pecsvarad. et Sigismundus Sexard. ecclesiarum Abbates. Comes Ladislaus de Palócz Judex Curiae regiae, Nicolaus de Vjlak, et Emericus de Pelseocz Vajuodae Transiluani, Johannes de Peren Tauernicorum, et Emericus, filius — Wayuodae Marczál Janitorum, nec non Simon de Palocz Agazonum Magistri, Georgius de Rozgon, Comes Posonien. Sigismundus Groff Segniae, Weglae et Modrussiae Comes, Georgius de Korbaúa, Johannes et Thomas de Zelk (fors Zekel) Ladislaus Thytös de Bathmonostra, Johannes filius Deseo Bani, de Gara praedicta, Johannes de Koroghy, Ivan et Osvaldus de dicta Rozgony, Ladislaus de dicta Pelseocz, Stephanus de Bicskele — de Feludvar, Ladislaus de Neczpáll, Paulus de Perén, Akatius de Chupor, Ladislaus Farkas de Lábatlan, Emericus de Debre, Nicolaus de Emöke, Oswaldus de Bucsan, Johannes de Zob, Barnabas Chire, Georgius et Stephanus Soos, Paulus et Lacislaus de Dombo, Georgius Zerechen de Mezthejnyeo, Ladislaus de Sepes, et Benedictus de Thurocz. Item Petrus de Nagy Tárkány; Stephanus de Bocska, Nicolaus de Zthancz, et Petrus Porkoláb de Zempliniensi, Petrus Zopa, Nicolaus de Faicz, Emericus Ugron, et Cosmas de Thur de Simigien-

si, Joannes de Kallo, et Benedictus de Pazon, Mathias de Kerez et Michael de Temenye, de Zabolchensi, Ladislaus Hervad, Georgius de Baya, Michael de Doboka, Nicolaus Nyaktalan de Baranyensi, Stephanus Perdac, Michael Barocz, Andreas de Achia, et Dominicus de Bél de Veszprimiensi, Andreas Bodo, Johannes de Solyag, Nicolaus de eadem, et Georgius de Keerde, de Tolnensi, Nicolaus Zép, Michael Zaaz, Valentinus Literatus, et Petrus Magnus de Beged, de Castriferrei, Dominicus Harasztos, Barnabas de Eölyeth, Thomas de eadem et alter Thomas de Janka, de Békessiensi, Thomas de Keresztur, Georgius de Bala, Ladislaus Bajus, et Johannes Thibolth de Borsodiensi, Petrus de Almás, Mattheus de Baraczka, Michael de Thetelen, et Ladislaus de dicta Almas de Albensi, Johannes de Vágközy, Kolos de Néma Ladislaus de Radvány, et Emericus Literatus, de Komaromiensi, Petrus de Bacso, Andreas de Lonya, Nicolaus de Beregh, et Privardus de Ulaz de Beregh, Petrus de Majkocz, Georgius Faragó de eadem, Johannes Figh, Vitus et Osvaldus de eadem, de Verőcze. Sebastianus de Koromzó, Benedictus de Alap, Albertus de Barony, et Dominicus de Enyse, de Jauriensi, Paulus de Chernek, Lad. de Lezan, Nicol. Lanicza, et Johan. de Jakowlecz, de Posega, Georgius Thombold de Staros, Andreas de Hanya, et Georgius de Vajda, de Simigiensi, Thomas de Salgo, Andreas Kakas de Delne, de Saaros, Sandrinus de Balogh, Nicolaus de Démend, Georgius Fig, Sulva de Kaza et Ladislaus de Gyarmath, de Honthensi, Sandrinus Ciko de Pomocz, Stephanus Chib, et Magister Jacobus Decanus Ecclesiae Budensis de Pilisiensi, Stephanus Macsa, Oswaldus de

eadem, de Sigismundus Zentgyörgy, et Johannes de Sarkőz de Thoronthal. Nicolaus Rekehy, et Johannes de Dorman de Hevesien. Honorabilis Dominus Praepositus Ecclesiae S. Laurentii, Ladislaus de Nagyvölgye, de Bodrogh. Paulus Ispan, Joannes Senteli, Ladislaus Sarosy, et Briccius Sarközy de Zarand, Johannes de Zalarcz, Georgius Sulyog, Casparus de Felegyház, et Johanes Thordas de Bacsiensi, Georgius de Zekely, Jacobus de Darocz, Sandrinus de Rhede, et Michael de Lengyel, de Neogradiensi, Isaak de Kattha, Antonius de Irsa, Nicolaus Borsoway, et Nicolaus de Dobos de Pesthiensi, Ladislaus Figedi, Thomas Thobad, Nicolaus de Mera, et Joannes de Dobza, de Abaujvariensi, Fabianus de Filgevar, Ladislaus de Bezencz, Valentinus Bornemisza, et Nicolaus literatus de Valko, Ladislaus de Veres, Ladislaus de Striczo, Ladislaus de Iske, et Adamus Literatus de Ungh. Benedictus de Hadas de Lipto, Salomon de Bragyan, de Bacsien. Gregorius de Majthe de Threnchiniensi. Johannes de Zobonya, et alter Johannes de Eméke, de Nitrien. Nicolaus de Vagh, et alter Nicolaus de Zrak (Cziráky Comit. stirps) de Soproniensi, Nicolaus de Isaka, et Ladislaus de Beőth, de Biharien. Comitatibus. Item de regno Sclauoniae: Georgius filius Simonis, alter Georgius filius Ivan, Johannes filius Viti, Petrus de Zenaharast, et Georgius de Mayrbocz, Electi Nuncii ad praesentem conuentum nostrum per vniuersitatem Nobilium Comitatuum praedictorum, transmissi, totum corpus et idemptitatem regnicolarum repraesentantes. Notum facimus praesentium per tenorem, quibus incumbit vniuersis: quod nob.s in ipsa nostra conuentione hic Budae celebrata con-

stitutis, de et super his, quae et tranquillo statui regni nostri Hungariae vtilia et commoda essent, tractantibus, cum inter haec de et super facto huius castri Budensis, quod condam Magnificus Dominus Laurentius de Hedervara, regni nostri Hungariae Palatinus, vsque exitum nimirum vitae suae ex nostra beneuolentia et collatione tenuit, quodque eodem decedente Magnificus Emericus, filius eiusdem, pridem Banus Machouiensis, hucusque conseruauit, mentis nostrae curas direxissemus, quia in serie generalis decreti regnicolarum anni proxime praeteriti expressum est et declaratum, vt Gubernator huius regni castra et ciuitates regales et reginales intrandi, in eisdemque standi, pausandi. et morandi liberam habeat facultatem: Idcirco tum huiusmodi statutioni et decreto satisfacere volentes eiusdem castri, vnanimiter et sana deliberatione voluimus et sanximus, vt ipsum castrum Budense manibus praedicti Domini Johannis Gubernatoris dari debeat, et assignari; per ipsum vsque nostri seu huius regni liberum placitum, nobis et huic regno fideliter conseruandum. Cum itaque nos hac de causa ipsum Emericum Banum in nostri medium venire et accersiri fecissemus, eidemque commisissemus; mox idem Emericus Banus nostrae communitatis praescripto et voluntati se obtemperaturum (promittens) ipsum Castrum Budense in manus eiusdem Domini Gubernatoris dedit, remisit, et assignauit tenendum et conseruandum. Ideo nos de vnanimi arbitrio et voluntate, ac nostri ac totius regni ac regnicolarum nominibus, et personis ipsum Emericum Banum super restitutione et resignatione ipsius castri Budensis reddidimus et comisimus, imo reddimus et committimus, quietum et expeditum, et omnibus

modis absolutum harum nostrarum litterarum sigillis regni nostri, scilicet Gubernatoris, nec non nonnullorum nostrorum appensionibus consignatum, vigore et testimonio literarum mediante. Datum Budae, praedicta feria quarta proxima post festum exaltationis S. Crucis. Anno Domini MCDXLVII. L. Sigillorum.

Ex orig. exscripsit Kaprinai MSS. tomo I. nro CVII. p. 201. sqq. sub B.

*LV. Vladislaus R. H. Judices Curiae regiae, causas appellatas e regno Sclauoniae extra seriem ac numerum diiudicare iubet. A.* 1499.

Wladislaus, Dei gratia, Rex Hungariae, Bohemiae etc. Fidelibus nostris Reuerendissimo, Reuerendoque in Christo Patribus, Dominis Thomae Archiepiscopo Strigonien. summo et Secretario Cancellario Nostro, ac Dominico Episcopo Varadiensi, personalis praesentiae nostrae Locumtenenti, nec non Spectabili et Magnificis Stephano Zapolya, perpetuo Comiti terrae Scepusien. et huius regni nostri Hungariae Palatino, ac Comiti Petro Gereb de Wingarth Judici Curiae nostrae, vniuersisque in Judicatu vices gerentibus, ac egregiis Magistris Prothonotarys Curiae et sedis nostrae regiae Assessoribus, praesentibus et futuris praesentes visuris salutem et gratiam nostram. Saepius iam et frequenter questi sunt Maiestati nostrae vniuersitas Nobilium regni nostri Sclauoniae, qualiter vos illas causas eorum, quae de praesentia Bani regni nostri Sclauoniae per viam appellationis in Curiam nostram regiam ad discutiendum transmitti solent, nolletis extra seriem iudiciorum adiudicare, sed eas in numero aliarum causarum in regno nostro Hungariae motarum, computare-

tis, et iuxta regestrum super datis literarum confectum velletis adiudicare, Cuius rei gratia ipsi regnicolae nostri diuturna exspectatione adiudicandarum causarum suarum in expensis et laboribus nimium fuissent grauati. Et quamuis Nos saepius vobis commiserimus, vt huiusmodi causas eorum transmissionales extra seriem regestri et extra numerum aliarum causarum adiudicaretis; vos tamen allegassetis, quod sine expressa voluntate et admissione regnicolarum huius regni nostri Hungariae id facere non potuistis, vtcunque in proxime praeterita diaeta ipsorum regnicolarum in campo Rakos celebrata, ydem regnicolae regni nostri Hungariae praefatis exponen. petentibus id admiserint, vt quolibet die vna causa siue transmissio dictorum exponentium, extra seriem causarum aliarum, et formam registri, non obstante constitutione ipsorum regnicolarum nostrorum, alias superinde sancita, per vos possit adiudicari. Quapropter volumus et mandamus Fidelitatibus vestris serie praesentium firmissime, vt a modo deinceps tempore celebrationis octauarum aut breuium iudiciorum causas praefatorum exponentium transmissionales in numero causarum huius regni nostri non teneatis; neque etiam secundum formam registri eas leuare debeatis; sed vnam causam singulis diebus extra seriem iudicii et formam registri, iuxta consuetudinem ab antiquo obseruatam discutere debeatis, vt vnusquisque vestrum debeat et teneatur, et aliud facere non praesumatis. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budae feria sexta proxima ante Festum Sanctissimae Trinitatis An. Domini MCDXCIX. L. S.

Ex originali exscripsit Kaprinai MS. tomo I. p. 166. nro. XCIV. sub B.

*LVI. Idem Vladislaus populos Ecclesiae Zagrabiens. a solutione fumalium denariorum eximit. A.* 1505.

Nos Vladislaus, Dei gratia, Rex Hungariae, et Bohemiae, etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod Nos considerantes multum interesse Principibus Catholicis Ecclesias Dei in suis bonis temporalibus non modo tueri et manutenere, verum eos libertate quoque digna et quidem debita, prosequi; quo ministri earum ex tali pia prouisione aliqua dulcedine sumpta, animo alacriori cultui Diuino insistere, et pro salute ipsos in temporibus iuuantium sedulas ad Altissimum preces effundere possint. Nos dum pro ea[illegible] et deuotione, qua erga Beatissimum regem Stephanum et Confessorem, in cuius glorioso Nomine Ecclesia Zagrabiensis fundata et constructa existit, singulariter tenemur, tum etiam, quia ex declaratione simul et supplicatione Capituli eiusdem Ecclesiae Zagrabiensis Maiestati nostrae propterea facta intelligimus, qualiter ipsi ac vniuersi populi et jobbagionalis conditionis homines ipsius Capituli, inter alias eorum libertates eidem Capitulo a Diuis Hungariae regibus, nostris scilicet Antecessoribus concessas, ab antiquo semper et ad haec vsque tempora, hac quoque libertate vsi fuerint et gauisi, quod quando vniuersitas Nobilium Regni nostri Sclauoniae generaliter vel particulariter pro aliquo eorum negocio apud nostram Maiestatem vel dictos uostros Praedecessores promouendo, ab incolis ipsis regni aliquas collectas vel denarios fumales exigi ordinasset, semper isti populi et Jobagyones praefati Capituli a solutione huiusmodi collectarum vel denariorum fumalium, in medium ipsorum regnicolarum solui debendorum, exempti fuerint et supportati. Itaque nos quoque, qui om-

nes regni nostri Ecclesias, quarum veri Patroni sumus, in eorum Juribus et libertatibus tenere et conseruare tenemur, praescriptos colonos et Jobbagyones eiusdem Capituli Ecclesiae Zagrabien. ab huiusmodi solutione praescriptarum Collectarum et denariorum, de regiae nostrae liberalitatis atque munificentiae dono et gratia speciali, duximus de nouo perpetuo eximere et supportari. Imo eximimus et supportamus praesentium per vigorem. Quo circa vobis fidelibus nostris, Magnificis Banis et Egregys Vice Banis eorumdem, nec non Comitibus vel Vice Comitibus et Judlium dicti regni nostri Sclauoniae praesentibus et futuris, praesentes visuris, harum serie firmissime committimus, et mandamus, vt a modo deinceps, nullo vnquam tempore, contra huiusmodi nostram gratiam, exemtionem, siquidem et in quantum, vt praemittitur, praefatum Capitulum eadem ipsa libertate hactenus potitum est, a populis et Jobbagyonibus ipsius aliquas collectas vel denarios fumales, pro quocunque negocio communitatis dicti regni nostri Sclauoniae generaliter, vel particulariter fieri debentes, exigere, eosdemque ratione non solutionis huiusmodi, in personis rebusque et bonis ipsorum quibusuis impedire, turbare vel quouis modo damnificare, impedire, damnificarique et impediri facere non praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali, gratiae nostrae sub obtentu. Praesentes vero, quas secreto sigillo nostro quo vt rex Hungariae vtimur, in pendenti communiri fecimus, post earum lecturam reddi semper volumus et mandamus praesentanti. Datum Budae feria secunda proxima post dominicam Laetare. Anno Dom. MDV. Regnorum nostrorum Hungariae etc. anno decimo quinto, Bohemiae vero tricesimo quin-to." L. S.

Indidem p. 103. nro XCIV. Exemtionem hanc confirmauit Rex Maximilianus Anno MDLXV. die XIV. Septembris. Apud Kaprinay sub B. tomo XXVIII. nro CXCIX.

*LVI. Slauonia tota liberata. A.* 1491.

Wladislaus, Dei gratia Rex Hungariae Bohemiae etc. Prudentes, circumspecti, fideles, nobis sincere dilecti. Non dubitamus vos propter nouam illam gueram, nouamque hostilitatem, quam nonnulli, Capitanei, et Magistri Rhotharum, cum gentibus suis penes Illustrissimum Dominum Johannem Albertum Ducem etc. fratrem nostrum, praeter omnem quidem suam et expectationem nostram in partibus illis superioribus, inceperunt, plurimum esse perturbatos, et metu perculsos. Quare fidelitates vestras, sicut per alias nostras his diebus sumus adhortati, ita et praesentibus rursus adhortan. et requirendos duximus, sitis boni animi, et omnem prorsus formidinem, et turbationem abiiciatis, nos quippe partes illas non negligemus, nec vos ulla ratione deseremus, et vt sciatis, iam commodius quam hyeme transacta vobis succurrere poterimus. Quandoquidem ciuitatem nostram Albam regalem a manibus Serenissimi Domini Romanorum regis, cum Dei auxilio, recuperauimus et plura insuper castra expugnauimus, et his diebus etiam castrum Weszprimiense expugnare fecimus, et totam illam Sclauoniam liberauimus. Caeterum in Austria quoque certa castra, ad portum Danuby his diebus expugnari fecimus. Propter quae omnia iam etiam Serenissimi Domini, Romanorum Imperator et Rex, nobiscum de pace et concordia agere coeperunt ac his diebus oratores et Consiliary vtriusque partis conuenire debebunt. Certi autem sitis, quod postquam nouam in illis partibus gueram, praeter nostram opinionem et exspectationem, vt praemisimus, ex-

ortam videmus, cum eisdem Serenissimis Dominis, Imperatore et rege Romanorum, vtcunque poterimus, concordabimus, vt postea vberius cum vniuersis viribus nostris contra illos hostes nostros agere possimus; sed ne interea vos et partes illas negligamus, deputauimus iam pro vestra defensione certam partem exercitus nostri, et his diebus etiam Spectabilem et Magnificum Dominum Stephanum, Comitem Scepusiensem, cum pluribus gentibus remittimus, et insuper etiam personaliter eum sequemur. Proinde fidelitates vestras rogamus et hortamur, sitis, vt praemisimus, boni et constantis animi, et nolite turbari, neque timere, sed estote memores honoris vestri, et perseuerate erga sacram coronam, et erga nos in praestita fide, et fidelitate, prout semper fecistis, sitisque parati penes Egregium Paulum Dwrholcz Capitaneum Scepusiensem etc. ad resistendum, pro virili vestra et omnia faciatis, quae idem dixerit. Quod erga vos omni certe fauore, gratia, et beneuolentia recognoscere curabimus, et pro certo et constanti teneatis, quod vobis, vt praemisimus, succurremus, et nullo pacto vos derelinquemus. Aliud igitur, iterum rogamus, non facturi. Datum in castro Palotha in vigilia festi beati Laurenty Martyris. An. Domini MCDLXXXXI. L. S. Supra; Commissio propria Domini regis.

Ex originalibus in archiuo urbis Cassoviens. existentibus. Cum Comitatus Posega, Veröcze, Walko ac Sirmien. copiae Maximiliani haud atigerint, palam est, per Sclauoniam totam Comitatus Zagrab. Chrisien. ac Varasdin. intelligendos nonnisi esse.

*LVII. Slauoniae in fide nutans. Anno* 1530.

Prudentibus et circumspectis Judici et ciuibus in ciuitate Cassoviensi, amicis et vicinis nostris, dilectis detur — Prudentes, et circumspecti Do-

mini et Amici nobis dilecti. Post salutem. Adhortatio vestra ad me delata fuit; sed cum tristitia cor nostrum repleuit (ob mortem fratris Stephani Bátori quondam Palatini) longe vobis, vt petitis scribere non valeo; attamen, vt breuiter possumus voluntati vestrae satis faciemus, etc. An ne ista sciatis? Nudius tertius Korzam (?) Despotum Johannem Tahy profligauit exercitus regis nostri ita, vt omnes ingenia eorum lucrauerint, et abstulerint. Item ante octo dies Episcopum Zagrabiensem vehementer profligauit Ludouicus Pekri, ita vt saltem praecipuos equos plusquam trecentos lucrauerit, qui iam amplius nichil potest. Item et Dnus Karlwit in Croatia profligauit certos Turcos. Exinde sciatis Deum nobiscum esse, quem a breui sentietis. Nunc sufficiat, et pauca mea bona teneatis, rogo, et Castellano meo subveniatis semper, in quibus indiget: nam scitis, vt nos semper, in quibus indiget: nam scitis, vt nos semper vestri sumus. Posonii. Datum feria tertia post Dominicum Jubilate. A. 1530. D. Andreas de Bathor Tauernicorum regalium Magister Comes Zathmár et Zaboch etc. vester.

Ex originalibus in archiuo Cassouiensi existentibus exscripsit Kaprinay MSS. sub B. tomo XXIX. p. 295-6. Factionis Zapolyianae conuenticulo in Belawar personaliter intererant: Franciscus Battyán, Dalm. Croat. et Sclauoniae Banus, Ludouicus Pewhchry de Petrowyna, Capitaneus, Nicolaus Pewhchry de eadem, Vrbanus de Battyán — Praeterea Simon Episcopus Zagrabien. Andreas Episcopus Tinnien. Joannes Torquatus Comes Corbauiae, Banus Croatiae, Joannes Thahy, Gubernator Prioratus Auranae, Petrus Erdeudy de Monyorokerék, Petrus Keglevich de Busyn etc. medio hominum suorum in hunc conuentum transmissorum V. Inuitatorias ad Conuentum Wesprimii celebrandum. Anno 1531. in Belawar feria tertia proxima post Dominicam Laetare emanatas.

*LVIII. Banatus, ac Diaeta regni Sclauoniae ad defensionem et conseruationem eiusdem. Anno* 1505.

Egregio Bernardo de Thurocz. Fideli nobis dilecto! His diebus, cum Illustris condam Joannes Coruinus Dux et Banus noster ab hac luce decessisset; Nosque fideles nostros Magnificos Andream Bot de Bajna, et Franciscum Balassa de Gyarmath in Banos illius regni nostri suffecissemus, ac ad occupandum Banatum illum transmissemus; commiseramus ysdem, vt imprimis et ante omnia in regno illo generalem congregationem Nobilibus regni nostri Sclauoniae indicerent, in eaque, quae ad defensionem, conseruationem eiusdem regni nostri pertinent, quasque eisdem nunciauimus, eisdem aperire, et manifestare debeant; Tu vero omnibus Nobilibus sub poena Capitis, vti accepimus, inhibuisses, ne quispiam illorum regnicolarum congregari auderet; et licet nos ad supplicationem generosae Dominae relictae eiusdem condam Ducis, Dominae Tuae, negotium hoc infra celebrationem Generalis congregationis Dominorum Praelatorum et Baronum ac regnicolarum hujus regni nostri distuleramus et et prorogaueramus; tamen nunc, cum scilicet alterum ipsorum Banorum certis et rationalibus ex causis ad Nos vocari fecissemus imo decreuimus, et ita eisdem commisimus, vt iam tandem ad regna illa, Banatumque nostrum intrare, illumque occupare, et prout antea ita nunc vnam diaetam illis regnicolis nostris indicere debeant: vnde Fidelitati Tuae harum serie firmissime praecipimus, et mandamus, quatenus a modo deinceps Te hanc in rem quauis parte ingerere, et intromittere, aut sic, prout coepisti, congregationem huiusmodi, negociaque nostra ac regni nostri perturbare nequaquam praesumas, sed

eisdem Nobilibus illius regni nostri libere ad ipsam congregationem generalem ire et proficisci permittere debeas, auditurus ea, quae circa defensionem illius regni nostri et directionem aliorum negociorum nostrorum requirere volumus. Datum Budae Feria quarta proxime post Festum B. Ambrosii Episcopi. Anno Domini MDV. L. Sigilli minoris.

Ex originali exscripsit Kaprinai MSS. sub B. tomo III. nro XXXI. p. 84—5.

*LIX. Sclaueniae regnum domo Austriaca regnante vbi? Anno* 1534.

Nos Ferdinandus Rex etc. Memoriae commendamus etc. Quod nos meritam, vt decet, habentes rationem fidelitatis, constantiae, plurimorumque seruitiorum, quibus Magnificus Ludouicus Pekry de Petrowyna, Capitaneus et Consiliarius noster, non parcendo laboribus, rebusque et facultatibus suis; sed nec sanguini quidem, et capiti suo, ab instante adolescentia sua, cum impiis Christianae religionis Hostibus saepius atque animose pro fide et patria, ac summo cum honore suo manus conserens, sacrae regni nostri coronae ac praecessoribus nostris, Hungariae regibus; ab interitu autem Serenissimi Ludouici regis, sororii nostri charissimi, felicis memoriae, se nobis gratissimum et acceptissimum reddere studuit; vt pote, qui his annis nouem, omne genus laboris et periculorum, in nostri gratiam, vltro adire, non dubitauit, quoties vel cum his, quos diximus, communibus fidei hostibus, vel cum Johanne Scepusiensi, eiusque factione infideli, res gerenda fuit; idque in aliis et aliis regni nostri Hungariae partibus, sed praecipue in regno nostro Sclauoniae, quam sua virtute, suisque armis magna ex parte ditioni nostrae

subiectam, multis fortibus ac felicibus praeliis auxit, defendit, et conseruauit. Vt ergo tantarum rerum ab eo praeclare gestarum praemium aliquod a nobis in praesens accipiat, vltra alia liberalitatis nostrae munera, quibus eum affecimus, castrum nostrum Medvevar et Castella nostra Rokonok et Lykawcz, in dicto regno inostro Sclauoniae, sita, cum omnibus oppidis villis, possessionibus, portionibus possessionarys, ac praedys, in quibuscunque regni nostri Sclauoniae Comitatibus existentibus, ac cunctis suis vtilitatibus etc. Item totum et omne ius nostrum regium, si quod in praedicto Castro Medvevar et Castellis nostris Rokonok et Lykawetz — — habere dignoscimur — eidem Ludovico Pewkry, suisque haeredibus et posteritatibus vniuersis — — dandum conferendum duximus; immo damus donamus et conferimus iure perpetuo et irreuocabiliter, tenen. possiden. pariter et habenda. saluo iure alieno. Harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Quas in formam nostri priuilegy redigi faciemus, nobis dum in specie fuerint reportatae. Dat. Viennae feria quarta proxima post festum Beati Andreae Apostoli. Anno D.MDXXXIV. regnorum Romani IV. reliquorum vero octauo." L. S.

Originales in archiuo Camerali Hungarico-Aulico. Exscripsit Steph. Kaprinay MSS. sub B. tomo XXVIII. nro. LXXXVI.

*LXI. Ferdinandus R. H. Sclauoniae Comitatus Varasd. Crisiens. attribuit. An.* 1561.

Nos Ferdinandus, Diuina fauente Clementia, electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Rex etc. Infans Hispaniarum Archi Dux Austriae, Dux Bur-

gundiae etc. Memoriae commendamus, tenore praesentium significantes, quibus expedit vniuersis: Quod Nos, tum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem Maiestati nostrae factam, tum vero consideratis erectione et aedificatione castri Zizek, quod Fideles nostri Capitulum Ecclesiae Zagrabiensis, visa confiniorum regni nostri Sclauoniae summa et poene extrema necessitate, pro arcendis et auertendis Turcarum crebris excursionibus, seruandisque reliquiis ipsius regni nostri Sclauoniae, ac ad defensionem Prouinciarum nostrarum haereditariarum, illi vicinarum, in possessione eorum Zylya vocata, in Comitatu Zagrabiensi existenti, ad confluentem fluminum Zaui, et Colapis, annis superioribus aedificare coepisse et iam magna ex parte confecisse dicuntur, volentes tam necesessario operi ex gratia nostra opem ferre; colonos omnes eiusdem Capituli Zagrabiensis, in Districtibus Zagrabien. Zizek, Toplicza, et possessione Petrowina, in Comitatibus Zagrabien. et Varasdien. habitis commorantes ab omnibus taxis nostris, tam ordinarys quam extra ordinarys, contributionibusque et lucro Camerae Nostrae Maiestati prouenire debent., intra spacium sex annorum integrorum, a die datarum praesentium comput. duximus eximendos, et supportandos. Ita tamen, quod praedictum Capitulum pecuniam dicto Castro Zizek insumere et impendere teneatur fideliter. Imo annuimus et concedimus per praesentes. Quo circa vobis, fidelibus nostris, Magnifico et Egregio Praefecto, caeterisque Consiliarys Camerae nostrae Hungaricae, nec non dicatoribus et Exactoribus quorumcunque usuum, taxarumque et contributionum nostrarum, tam ordinariarum quam extraordinariarum, ac lucri Camerae nostrae, nec

non regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano, eiusqne Vice-Bano, ac Comitibus, Vice-Comitibus, et Judicibus Nobilium Comitatuum Varasdien. Crisien. et Zagrabiens. harum serie mandamus firmissime, quatenus habita praesentium notitia, pecunias omnes, quae in quibuscunque contributionibus et taxis nostris tam ordinarys, quam extraordinarys, atque etiam Lucro Camerae nostrae, tempus intra praemissum, ex praescriptis bonis dicti Capituli exigen. et ad necessitatem, conseruationem dicti Castri Zizek per eos conuerten. et insumen. relinquere debeatis et teneamini, eosdemque contra formam exemtionis nostrae praemissae, tempus intra praescriptum, in personis, rebus aut bonis ipsorum quibusuis impedire, turbare, molestare, nusquam et nullo modo praesumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Praesentibus perlectis Exhibenti restitutis. Datum Viennae die vigesimo octauo Marty. Anno MDLXI."

Ferdinandus m. p.

Nicolaus Olahus Strigoniensis.

Joannes Listhius m. p.

Ex originali archiui Cameralis.

*LXII. Post Ferdinandum I. R. H. Banatus Dalmatiae, Croatiae, ac Sclauoniaead vnicum, qui primitus fuit, rediit Anno* 1573—1741.

Anno 1573. (sub Maximiliano) Spectabilibus ac Magnificis viris, Comite Nicolao de Bathor Judice Curiae regiae, praedicto Georgio Draskowyth regnorum Dalmatiae Croatiae et Sclauoniae Bano.

A. 1580. (sub Rudolfo) Spectabilibus ac Magnificis Comite Nicolao de Bathor Judice Curiae

nostrae Regiae, Chrystophoro Vngnad de Sonnegh regnorum nostrorum Dalmatiae Croatiae et Sclauoniae Bano.

A. 1618. (sub Matthia II.) Spectabilibus ac Magnificis Comite Sigismundo Forgách, de Ghymes, Judice Curiae regiae, Comite Nicolao Tersakt de Frangepanibus regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano.

A, 1630. (sub Ferdinando II.) Sp. ac MM. Comite Nicolao Eszterházy de Galantha, regni Hungariae Palatino, Comite Melchiore Alapi de Bekén, Judice Curiae regiae, Comite Sigismundo Erdődy de Monyorokerék, regnorum Dalm. Croat. et Sclauoniae Bano."

A. 1640. (sub Ferdinando III.) Spect. ac MM. Comite Nicolao Eszterházy de Galantha, regni Hung. Palatino, C. Joanne Drugeth de Homonna, Judice Curiae regiae, Comite Joanne Draskouiych de Trakostyan, regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano."

A. 1665. (sub Leopoldo I.) Spect. ac MM. Comite Francisco Wesselényi de Hadad, perpetuo in Murany, regni Hungariae Palatino, C. Petro Zriny regnorum, Dalmatiae Croatiae, et Sclauoniae Bano."

A. 1712. (sub Carolo III.) Spect. ac MM. Paulo Eszterházy de Galantha, S. R. Imp. Principe, Judice Cumanorum, aurei velleris equite, regni Hungariae Palatino, C. Georgio Erdödy de Monyorokerék, Judice Curiae regiae, Comite Joanne Pálfi ab Erdőd regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano."

A. 1741. (sub Maria Theresia) Spect. MM. Comite Joanne Pálfy ab Erdőd. regni Hungariae Palatino, Comite Josepho Eszterházy de Galantha,

Judice Curiae regiae, et antelatorum regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Bano."

Singulos pertexere alienum a quaestione fuisset.

*LXIII. Banorum Croatiae ac Slauoniae, durante regum beneplacito, iurisdictio ac provisio. Anno* 1542.

Nos Ferdinandus etc. Memoriae commendamus — — quod quum regna nostra Croatiae, et Dalmatiae, et Sclauoniae aliquot mensibus praeteritis sine certo Duce et Bano fuissent, multa inaniter praeteriere, quae tum ad gubernanda, defendendaque illa, tum vero subditos recte regendos, in regnis ipsis fieri debebant, resque illorum omnes non aliud iam deposcerent, quam vt eis Ducem et Banum praeficeremus. Moti itaque nos virtute et dexteritate fidelis nostri Spectabilis ac Magnifici Comitis Nicolai de Zrynio, quibus ipsum tum ingenio, tum vero exercitio, atque disciplina militari, praeditum esse intelligimus, quarum etiam non semel iam specimen de se praebuit, eundem ad banatus officium in ipsis regnis nostris Croatiae, ac Sclauoniae delegimus, prout praesentibus, durante beneplacito nostro, deligimus et creamus. Illudque eidem simul cum omnibus iurisdictionibus, quibus alii praecessessores sui, Bani habuerint, dedimus donauimusque. Ita tamen, vt officium hoc primum ad Dei omnipotentis laudem et gloriam exerceat, et quantum in ipso est, summa, qua potest cura, regna illa aduersus omnem hostilitatem tueatur, subditos in pace et quiete teneat, a raptoribus defendat, nec vllam rapinam fieri a quoquam patiatur; iura omnibus citra personarum delectum administret, eademque omnia

faciat et exsequatur, quae ad bonum et fidelem regnorum illorum Banum pertinent. Vt vero idem Comes Nicolaus de annuo salario suo certior a nobis reddatur, eidem ad 600 equites, leuis armaturae, condicionem fecimus, ad quos singulos equites pro annuo salario dabuntur singuli 20 floreni. Dum autem in seruitiis nostris et regnorum nostrorum fuerit, pro pecuniis menstruis, in singulos menses, cuique equiti, singulos duos florenos dabimus. Praeterea debebit habere 400. pedites, ad quorum singulos per mensem numerabuntur floreni duo. Ad conseruationem autem mensae suae, exploratorum intertentionem, et nunciorum missionem, prout temporis ratio offeret, dabuntur per annum 4000. floreni Hungarici. In cuius quidem ordinationis nostrae testimonium et robur, praesentes litteras nostras praefato Comiti Nicolao de Zrynio dedimus et damus. Viennae 27. Decembris anno Domini 1542."

Ex archiuo Camerali.

*LXIV. In partibus inferioribus Hungariae, signanter Sirmiensi et de Walko Comitatibus, Judex Curiae regiae procedit. A.* 1494.

Wladislaus Dei gratia etc. Fideli nostro Magnifico de Kenys, Judici Curiae nostrae, Comiti Themesiensi, summo Capitaneo partium Regni nostri inferiorum, eiusque vices gerentibus in Comitatu Sirmiensi et de Walko constitutis, salutem et gratiam. Infinita flagitia et maleficia, in partibus illis inferioribus, et signanter in Comitatu Sirmiensi, jam a multo tempore per nonnullos facinorosos homines perpetrari non sine graui displicentia percepimus. Quod tum ex frequentibus multorum querelis, aures nostras impulsantium,

tum etiam ex literis quibusdam attestationum, per se ad nostram Maiestatem missis, cognouimus adeo, vt plerique malefactores non contenti domos aliorum inuadere, possessiones depraedari, et alias depraedationes, spolia, nocumenta omnis generis inferre, insuper et homines vtriusque sexus, et etiam pueros et puellas furtim surripere, et ad Turcos pecunia vendere dicantur. Quae omnia flagitia, cum plus quam enormia et ipso auditu indigna et absurda sint; Nos pro debito regalis nostri officii nequaquam possumus, neque volumus talia maleficia impune, aure surda, et conniuentibus oculis praeterire. Quare communicato super his cum Dominis Praelatis et Baronibus consilio, fidelitatibus vestris harum serie firmiter praecipientes mandamus; quatenus talium maleficiorum Actores, et fautores et complices, et conscios in illis partibus et signanter in Comitatu Sirmiensi, diligentissime perquirere, et investigare, et quotquot culpabiles vera probatione ei legitimis documentis compereritis, etiamsi illi possessionati homines, vel etiam officiales quorumcunque Dominorum forent, sine vlla acceptione personarum, vel etiam pecuniarum, vel redemptione capitum, remoto etiam fauore, quocunque, iustitiam illis omnibus ministrare, et partes illas de talibus, et tam enormibus flagitys expurgare debeatis. Auctoritate nostra vobis praesentibus literis nostris attributa, et iustitia mediante, ne per tales facinorosos partes illae regni nostri inferiores, et signanter Comitatus Sirmiensis, vlterius desolentur, sicut jam in maxima parte dicuntur desolatae. Datnm Budae Anno Domini MCDXCIV. L. S.

Ex archiuo Camerali.

*LXVI Sclauonia primitivum Croatiae nomen recipit. Anno* 1683.

Leopoldus Diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator etc. Spectabiles, Magnifici, Generosi Fideles, dilecti. Illibatam et continuam Inclyti regni Croatiae fidem et Ordinum horum intemeratam pro re christiana tuenda constantiam, et nostri gloriosi fidem probauerunt Praedecessores, nosque ipsi hoc praecipue exulcerato tempore gratanter experimur. Non eos, vt reliquos, in transuersum et ignominiosam Juramenti praestiti obliuionem, agit immanissimi Turcae pacifragium, non allicit illius venenosus suasus in perfidorum multorum Hungarorum coalescentem societatem, neque deturbat eos a statu auitae fidelitatis Turcarum praesentanea violentia, truculenta in regna et Prouincias nostras irruptio, aut ipsiusmet Metropolis Austriae, Vrbis Viennensis, obsidio et quaqua versum illata foeda vastatio; gratulamur proinde Nobis de tam fidis et Juramenti atque obligationis naturalis tam tenacibus subditis, vobis autem ob vestram per omnis aetatis memoriam in toto christiano orbe depraedicandam constantiam, neque dubitamus, quin his et alys fidelium ope expectatis subsidys truculentissimi hostis perfidia, in propriam sui confusionem, proxime sit retundenda. Nequaquam enim in solatii vicem celare vos volumus, undecunque, tam ex prouincys nostris haereditarys, quamImperio Romano confluere auxilia, quibus nostrates adauctos, hostem a muris Viennae, quae fortissime iam num hostiles insultus repellit, quin immo ex omnibus Austriae et regni nostri Hungariae partibus exturbare posse confidimus. Adsunt in Styria quoque tres integrae Legiones, cum varys et multis supple-

mentis, aduenient copiae Archiepiscopi Salisburgensis, consilio et gnaua sua experientia assistet campi Vice-Mareschallus noster, Comes Strasoldius, a nobis gubernationi Vrbis Graeciensis deputatus; Miles insuper noster vna cum numerosis auxiliaribus ad radicem montium Styriacorum, sistere se cogitat, vt et vestra facilius tueri, seque cum copys interioribus ad succurrendum obsessae Vrbi Viennensi coniungere queat. Jugis itaque et exacta correspondentia inter vos, Ministros nostros Graecenses, atque ipsum nostrum armorum Ducem, Generalem, Principem Lotharingiae, opus est, vt consiliis, animis, et propositis iunctis pro Austriacis et regni nostri Croatici Terris, quas uno et non dissimili affectu paterno complectimur, pro instituto et fidelitate Maiorum fortissime pugnetis. Nos sane Graecensibus nostris Consiliarys stricte ac serie commisimus, vt in omnibus vobiscum confidentissime communicent, et quatenus Prouinciae illae pollent, ope omni possibili uobis praesto sint, et adminiculentur, prout de uobis etiam omnino nobis pollicemur, vt vicissim ysdem fideliter astituri, vosque inuicem pari amore et fide, fraterno vtique vinculo mutuo obstrictos consideraturi sitis. Quibus plane fraeti Caesaream et regiam nostram gratiam vobis amplissimam confirmamus. Datum Passauy die vigesima sexta July Anno Millesimo sexcentesimo octingentesimo tertio. Regnorum nostrorum Romani vigesimo quinto, Hungarici uigesimo nono, Bohemici vero vigesimo septimo. Leopoldus manu propria. T. A. Herr. Liber Baro de Strattman manu propria. Ad mandatum Sacrae Caesaraeae regiaeque Maiestatis proprium Joannes Georgius Koch, manu propria. Locus Sigilli.

Titulus: Spectabilibus Magnificis, Generosis, Fidelibus, nobis dilectis, Regni nostri Croatiae Statibus et Ordinibus."

Ex authentico pari.

*LXVII. Idem Leopoldus Rex Hungar. Comitatus Verõcze, Posega, Valkovar etc. Slauoniam, a Croatia distinctam, dicit, et in politicis per Supremos et Vice Comites administrari praecipit. A.* 1697.

Leopoldus etc. Demisse repraesentare fecit Maiestati Nostrae Egr. fidelis noster Zemliak, bonorum nostrorum Fiscalium in regno Sclauoniae existentium administrator; Quatenus continuis hisce retroactis temporibus et annis, officiales nostri militares et Commissarii bellici, propria auctoritate in iam fato regno nostro, variis bellicalatatibus presso et ruinato, quarteria sibi pro lubitu erigere, portiones per se ipsos imponere, et per executiones suas militares, toto ferme tempore hinc inde discurrendo, ad placitum suum (nullo vnquam tempore, ipsis Supremis vel Vice-Comitibus, aut Judlium vel Vice - Judlium, quin imo nec simplici aliquo authentico Comitatensi homine, pro testimonio ad id conuocato) eiusmodi portiones exigere; varys item regalibus, donis, muneribus, et oppressionibus miseram plebem angariando, ad incitas, extremamque ruinam, cum manifesta ipsius patriae desolatione, praecipitare consueuissent adeo; vt intra quatuor annorum spacium, plura quam duo millia animarum christianarum propter eiusmodi oppressiones et rapinas, relictis domiciliis suis, ad diuersas regiones et prouinciasmigrare debuerint. Haec autem omnia exinde euenire, quod nullus in politicis rebus et negocys in attacto regno nostro Sclauoniae praeser-

tim vero Comitatibus Posegiensi, Verőcensi, Valcovarensi, ordo obseruetur, neque debite quoad administranda Politica, ciuilia et publica negotia, per eos, quorum interest dispositiones instituantur. Quia vero e re seruitii nostri et boni publici, conseruationisque patriae huius esset, vt debitus ad aliorum instar bene regulatorum Comitatuum, in omnibus praemissis ordo obseruetur; ac in distribuendis et exigendis militaribus portionibus officiales Comitatenses adhibeantur, et consequenter praerecensiti millitares excessus (vti iam in hoc passu necessarios Consilium nostrum Aulae Bellicum facturum esset dispositiones) tollantur et proscribantur. Ideo fidelitatibus vestris (quarum etiam muneris esset, publica eiusmodi curare negocia; rebusque confusis debitum ordinem inducere) hisce benigne simul et serio committimus et mandamus; quatenus acceptis praesentibus, de praeteritis quidem excessibus et exorbitantiis, strictam inquisitionem institui, nobisque demum pro adhibenda eiusmodi medela referri facere; in reliquo autem admonitis serio de et super obeundis functionibus suis, supremis praenotatorum Comitatuum Comitibus, eum ordinem et dispositionem quam primum instituere velint, ac nouerint; vt omnimode in posterum non per milites et commissarios, verum praedictos supremos, et Vice Comites, aliosque Comitatenses officiales, eiusmodi politica, ciuilia et publica munera, et negotia rite administrentur; solitae Comitatuum congregationes et sedes quoque iudiciorum, pro iustitia debite administranda, coercendisque prauorum excessibus, frequentius celebrentur: aut in solitis quoque generalibus fidelitatum vestrarum conuentibus causae et processus eius regni

gni nostri Sclauoniae; ventilentur, discutiantur, et pro iustitiae exigentia decidantur et terminentur. Iuribus denique ipsorum populorum ad normam, et methodum regulati regni nostri Croatiae omni meliori modo prospiciatur. Quo in passu, quemadmodum benignam hanc voluntatem nostram fidelitates vestras rite executuras non ambigimus, ita iisdem gratia et clementia nostra etc. Datum in castro Ebersdorff 28-a Septemb. 1697. Leopoldus man. prop. Joannes Georg. Hoffman, Joannes Domaniczky."

E prael. not. Kerchelich. p. 475.

*LXVIII. Praeter Sclauoniam etiam nonnullae Croatiae partes quae confiniorum nomine veniunt, retentae. A.* 1700.

Nos Comes Adamus de Battyán, Croatiae ac Dalmatiae Banus, regnique Capitaneus — — damus pro memoria; Quod nos consideratis et exacte perpensis tot et tantis vltra iam seculum, pro diuis Hungariae regibus, et Augustissima domo Austriaca, cum amplissimarum facultatum iactura, copiosissima sanguinis effusione, totque ac tam carorum conciuium suorum caede, diuturna praeterea et sumptuosa confinariae militiae aere proprio exolutione; per inclytos status et ordines praefatorum regnorum Croatiae et Sclauoniae aduersus varios et plurimos naturalis hostis in eademregna insultus; et conseruationem confiniorum suorum Colapianorum praestitis seruitiis; et quod deinceps quoque nonmodo in praefatis Colapianis, sed Vnnanis quoque et Glinanis confiniis, pro moderno Suae SSmae Maiestatis Caesarereae regiae Suorumque Augustissimorum successorum seruitiis, conseruandis et manutenendis, similiter sumptibus, curam et solicitudinem se impensuros et applicatu-

ros, resolute promisissent et declarassent. Horum itaque tam rari meriti, alti pretii operum ac seruitiorum iusto ex respectu, et intuitu; et vt infra scripta resolutione et condescensione nostra, modernis Dominis Statibus et eorum successoribus, in vicem debitae laborum et meritorum suorum gratitudinis et recognitionis, pro ipsornm apud nos propterea in anno currenti, die vero 29. Mensis Maii Viennae Austriae, medio Perillust. ac Generosi D: Georgii Plemich, SS. Maiest. Caesar. et regiae Consiliarii, ac praefatorum regnorum Magnifiei Protonotarii, et in moderna quoque eorum generali hic Zagrabiae celebrata congregatione facta instantia, eosdem Dominos Status et Ordines iusto hoc, ipsisque a pridem debito et competenti medio, consolaremur, statuimus et resoluimus, promittimusque et obligamus Nos, et vniuersos in praemisso Banatus officio successores nostros, pro immunitate et praerogativa eorundem Dominorum Statuum et Ordinum praementionatorum regnorum, conditiones infrascriptas perpetuo seruaturos. I. Ne extranei in stipendia, minus in officia confiniaria, nunc vel in futurum, praeter expressum praefatorum Dominorum Statuum et Ordinum assensum promoveantur; sed stipendia eiusmodi et officia Nationalibus duntaxat conferantur II. Ne a modo officia confiniaria incipiendo a Vajuodatu inclusiue, altiora ulla, praeterquam cum voto et praesentatione per D. D. Status et Ordines fienda, subiectorum trium, in re militari repertorum, habita etiam praestitorum seruitiorum bellicorum ratione, a nobis Comite Bano vel Successoribus nostris conferantur. Saluo tamen et modo Dominorum Vice-Capitaneorum debito interesse III. Vt absente Comite Bano e regno, confiniorum moles

et gubernium integrale, per subalternum sibi regnicolam, cum cointelligentia et relatione ad Dominos Status, sustineatur et administretur. IV. Dominis Statibus liberum erit et admissum, medio constituendorum et exmittendorum Commissariorum suorum annis singulis, militiam confiniariam et praesidia, confiniariaque vniuersa, lustrare, cum officialibus, remque militarem et suppellectilem tractantibus, rationem ducere; iure de succumbentibus, executione mediante, satisfactionem (praeuio tamen ad D. Banum recursu) sibi impendere V. Vt Commissariis regni, in Comitiis constitutis, per officiales et milites confiniarios, alter immediate post Dominum Banum honor et authoritas tribuatur. In quorum omnium firmitatem in perpetuum obseruandam, praesentes litteras nostras, sub authentico sigillo nostro Banali, ac manus nostrae propriae subscriptione, memoratis Dominis statibus et Ordinibus antefatorum regnorum, extradandas esse duximus et concedendas. Zagrabiae die 30. mensis Septembris. Anno Domini MDCC. Comes Adamus de Battyán m. p. Locus sigilli regni.

Ex archiuo regni Sclauoniae.

*LXIX. Episcopatus Zagrabiensis zelo, ac vigilantia, in Sclauonia, et Comitatibus Posega, Veröcze, Valko, Szerem, Reformatio radices figere nequit. A.* 1569.

Pius (II.) Episcopus, Seruus seruorum Dei Venerabili fratri Georgio, Episcopo Zagrabiensi. Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Christianae charitatis affectus, pastoralisque seruitutis commune nobis cum venerabilibus fratribus Episcopis nostris, vinculum non sinit nos expertes esse eius laetitiae, quam de illorum virtute, con-

ceptam animo percipimus. Itaque cum de tua eximia in Deum omnipotentem pietate, religionisque catholicae studio, ac diuini honoris zelo multa constanti plurimorum fama sint ad nos allata, faciendum esse existimauimus, vt non solum quantopere haec nobis grata accidissent, Tibi significemus, sed tibi quoque de eis gratulemur. Vera autem gratulatio est, quam non praesentia temporis, aut necessitas temporalis extor quet aut terrena commendat vtilitas; sed quae de sanctis, bonisque operibus, suscepta coelestis mercedis gloriam habent. Quod enim in gubernando custodiendoque grege fidei Tuae ab omnipotenti Deo commisso, eam prudentiam, vigilantiamque adhibes, vt bonorum tuorum fama istis Pannonici regni finibus non contenta, huc ad nos vsque perferatur, hoc gaudendum esse, in Domino, cognoscimus. Itaque gratias agimus Redemtori nostro, qui inter caetera pietatis suae dona, ita fraternitatem tuam catholicae religionis amore incendit, vt quid quid ad eius conseruationem, propagationemque pertinere cognoscit, id et diligenter, et alacriter exequi non desistat. Quamuis autem eum, qui adiuuante Deo ita sit animatus superuacaneum videatur esse, magis hortari; tamen, quia Te inter caeteras tuas virtutes, fraternae quoque hortationis verba libenter suscipere existimamus, id circo hortamur, vt quam ingressus et ad coelum ferentem uiam, ab ea, ne iter Tuum deflectas, donec eo, quo contendis, perueneris. Sit Clero, populoque Tibi commisso vitae Tuae sanctitas regula, atque norma, ad quam actiones, moresque suos vterque studeat conformare. Mali vitiorum poenam, Boni virtutum praemium sibi a se exspectandum esse, intelligant. Haereticorum venena, ne gregem tuum inficiant, quanta potes diligentia, vi-

tare contende, Quominus ea semper agas, quae Deo beneplacita sunt. Nullius Te hominis metus deterreat. Nemo mercedem Tuam euacuet. A nobis autem omnia fraternae charitatis indicia semper expectato; de qua nostra propensione cum hoc dilecto Francisco Diaetalevio copiosius egimus, qui Tibi has nostras literas reddet, cui fidem habebis. Datum Romaé apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 9-a Augusti MDLXIX. Pontificatus nostri anno quarto."

Kaprinay MSS. sub C tomo X. nro LVI. Cum Praesule suo eximiam Capitulum Zagrabiense iunxit operam: „Nolo hic studia conatusque meos extendere, quos in obsequium catholicae fidei, qua Archidiaconus de Bexin ad reducendas errantes oves, pro praestanda Sedi Apostolicae obedientia exantlaui. Sunt labores mei publici; librorum vulgari lingua editorum aduersus Romanae Ecclesiae dogmata, vt putatur Andreae Dudich, industria scriptorum, atque Varasdini et per Insulam a Praedicatorum, quam molesta exstiterit, refutatio, descriptione mea opus non est : dum nescire debet sinistra, quod fit per dextram" Ibidem nro LXII. Ecclesia Zagrabiensis non minus ac Bosnensis suam in Comitatus quoque inferiores Hungariae extendit vigilantiam: ideo, ita in Slauonia, ita in Comitatibus Posega, Valko, Veröcze etc. reformatio radices figere nequiuit. Cf. Modus iuuandi catholicam religionem in Dioecesi Zagrabiensi, ac vicinis regnis et prouinciis, vtentibus lingua Illyrica." Ex Codice Vaticano MS. nro 6696 fol. 41. Kaprinay MSS. sub tom. XII. p. 198. sqq.

*LXX. Dionysii Comitis Palatini pro familia Woykfi, Proto rege Stephano ac Bela I. inter Drauum et Sauum possessionibus donata, sententia iudiciaria. A. 1228.*

Dionysius, Dei gratia, Comes Palatinus, vniuersis praesens scriptum inspecturis, salutem in in vero Salutari. Vniuersitati omnium tenore praesentium volumus fieri Manifestum: Quod inter Rubinum filium Comitis Job de genere Woyk,

cibus nostris armis mediantibus gloriose recuperatis designatio et conscriptio conficiatur, et Maiestati nostrae absque longius protracta temporis mora humillime tradatur, ex qua saltem historice pateat, qui modo possessores in dictis partibus sint, et siquidem eum in finem pro Comissariis et peragendis neoacquisitis partibus intra Savum et Danubium et Tibiscum existentibus, conficiendaque exacta earundem designatione fideles nostros nobis dilectos Caesareo Aulicae, nec non Regiae Hungariae Camerarum nostrarum respective Consiliarium, et Officinae rationariae Posoniensis Magistrum, Joannem Franciscum ab Olbern, et Georgium Zbisko clementer deputassemus.“ Confiniorum vero instituendorum gratia eodem 1700. 14. Septem. Ottonem Christophorum S.R.J. Comitem Volkra de Haidenreich Camerarium suum, Regiae Camerae Hungaricae V. Praesidem, et Camerae aulicae Consiliarium ex parte Camerali clementissime denominavit, eidemque Camerae Hungaricae Concipistam Grinavszky ad peragenda eiusdem Commissionis negotia subordinandum duxit. Commissio in regnum Slavoniae delegata circa ea, quae notatu erant digniora, humillime declaravit: „Primo circa religionem: regnum Slavoniae victricibus Suae Maiest. armis recuperatum, continet quatuor comitatus: scilicet Valkonensem, Posegiensem, Verőczensem, sive Veroviczensem et Sirmiensem. Inter quos quatuor Comitatus praecipuus est Posegiensis, et repraesentat pulcherrimum et amplissimum Principatum seu Ducatum. In his quatuor Comitatibus Ordo Ecclesiasticus est nullus, ideo quod Dioeceses Episcopales sint adhuc c o n t r o v e r s a e, et nullus,

Episcoporum debitam eorum curam habet. Passim Franciscani Bosnenses administrant Parochias pro suo libito.“ Tum mores incolarum depinguntur feroces ac flagitiosi. — Circa Politica et Secularia: regnum Slavoniae quoad praemissos quatuor Comitatus hactenus erat, estque de facto sub dispositione et administratione Cameratica, indeque habent suam dependentiam, Officiales autem Cameratici, quales solent committere excessus, eosdem ipse Illustrissimus Dominus Commissarius ex parte Excels. Camerae Aulicae delegatus pro ratione sui muneris et functionis annotavit. Similiter Domini Commissarii ex parte regni Hungariae deputati, quae ad ipsorum munia pertinebant, diligenter conscripta ad Suam Maiestatem SSm transmiserant.“ Tum confiniariorum licentiam, Dominos infinitos, incolarum gravamina insinuat. Ex Archivo Camerae transcripsit, Georgius Pray M. SS. T. XIX. Commissio Hungarica ad I. Regnum Slavoniae in ordinem redigendum clementer deputata sub Comite Francisco de Nádasd, Stephano Kasó et Alexandro Nedeczky e benigna Caesarea Instructione depromptam Inclyto Valkoensi, et aliis regni Slavoniae Comitatibus pro ulteriori directione specificam reliquit organisationem. Actum Verovicae die 11. Dec. 1700. Cuius praecipua puncta sunt: Quoad religionis exercitium: ea, in quantum fieri potest, pure Romano-Catholica, exclusis Lutheranis et Calvinistis, ita annuentibus S. Stephani regis Lib. I. Cap. II. art. 22. 1684. Ferd. 1563. art. 31. 1548. art. 5. 6. 7. 1550. art. 12. 13. 14. 1548. 5. 6. 7. 9. 10. et praesertim art. 23. A. 1686. inducatur et

stabiliatur. — Nro X. Tam pro servitio Suae Maiestatis, quam et administranda iustitia et publico bono, Magistratus Comitatensis, utpote Supremi et VComites, Judices Nobilium, Notarii, et Jurati Assessores, publica simul et Juridica absque omni Officialium bellicorum et Cameraticorum interturbatione et ingessione, prout in aliis regni Hungariae Comitatibus, administrabunt, et Officiis suis fungentur. Nro XIV. Limites vero Comitatuum interim, donec exactius per officiales vel alios, quibus competit, muniantur et sesciantur (quatenus iidem officiales Comitatuum diligentem investigationem primitus fiendam, adhibeant operam) taliter, uti Provisoratus camerales sunt, observabuntur: Valkoensis comitatus habebit totum districtum, Inspectoratus Eszekiensis, Verőczensis Comitatus districtum Provisoratus Verőczensis, Posegiensis Comitatus districtum Provisoratus nominis eiusdem. Sirmiensis comitatus totum Sirmium servabit. Nro denique XVI. Supremis Crmitibus sui denominati sunt Magistratuales." Ex Archivo Camerali. — Commissio vero Confiniaria ex his quatuor Comitatibus exemit districtus tres: Gradiscanum, Brodensem, et Petrovaradinensem. Hic rerum permansit status annum usque 1745, quo Commissario Comite Alexandro Patachich Comitatus quatuor in tres sunt contracti: Verőczensem (Valkoensi unitum), Sirmiensem, et Poseganum. Horum ac Confiniorum limites A. 1749. Commissariis Ex. D. Comite Antonio Grasalkovich, Camerae A. H. R. Praeside, Generali item ab Engelhoffer, cum aliis, quos inter et Balthasar Kerchelich fuerat, qui nunc sunt, fuerant constituti. V. ipsum Kerchelich Prael. Not. p. 405. Hac

in rerum confusione Sclavoniae notio ac limites Eruditioribus duntaxat permanserant fixi: Martinus St. Iványi Miscellaneorum 1691. editorum Decade II. T. I. p. 148. seq. ait: „Slavonia (Diplomate Leopoldi Croatia compellata) habet a Septemtrione Hungariam et Dravum amnem interiectum, ab occasu Styriam, a meridie Croatiam, ad ortum Rasciam. In longitudine sua habet 20 milliaria, in latitudine 10, Dravum inter et Savum. Dividitur in tres Comitatus: Crisiensem, Zagrabiensem, et Varasdinensem. Rascia (intellige Slavoniam inferiorem ab incolis ita dictum) prout Croatia distincta a Slavonia, ab occasu habet Sclavoniam, a Septemtrione Hungariam et Dravum fluvium, ab ortu confluentiam Savi in Danubium, bonam Hungariae partem, a meridie Bosniam et Serviam, a quibus Savo amne separatur. Haec in longitudine habet 20 milliaria germanica, et iuxta defluentiam Savi 25, in latitudine 12, Savum inter et Danubium: continet similiter tres Comitatus: Posegiensem, Valponensem, Sirmiensem.“ Ita etiam Bombardus Topographiae editionis primae p. 231—2. „Posterioribus (ab anno 1700) annis iuxta nonnullorum Geographorum partitionem pars Slavoniae non modica, terni nempe Comitatus: Zagrabiensis, Varasdiensis, et Crisiensis, in Croatiam abiisse sunt visi; ut ideo iuxta eorundem dimensionem regnum Slavoniae 20 duntaxat milliaria germanica in longum, videlicet a Croatia usque ad influxum Dravi in Danubium, in latum vero nonnisi 12 hodie numerat. Indicatam limitum restrictionem non aliunde ortam suspicamur, quam quod Croatia potiori sua parte a Turcis mulctata, antiquae dominationis et

gloriae nihilominus tenax, in vicinam regionem suum nomen extenderit. Plerisque tamen eruditioribus, etiam Croatis, adhuc vetus Sclavoniae divisio praeplacet, eidemque ternos Comitatus a nobis ante memoratos lubenter transscribunt."

§. 88. Ad finalem denique eiusdem Scriptoris expostulationem nescio quid dicam: „In Diaeta, inquit, A. 1715. de incorporatione trium horum Comitatuum inferiorum primum actum est. Inspiciantur Diaria Comitiorum, legatur arlus 118. et apparebit, non ex parte Hungariae, sed parte Croatiae, incorporationem petitam, et ad preces nunciorum Croatiae resolutam fuisse. Noverant nempe Status Hungariae A. 1715 et 1741. congregati, quod Comitatus illi, antequam a Turcis occuparentur, ad ius regni Croatiae, iurisdictionemque Bani continuo pertinuerint. Quodsi enim eos immediate ad Hungariam pertinere existimassent, certe nec A. 1715 et 1723 incorporationem a Nunciis Croatiae urgeri, nec A. 1741. eosdem iurisdictioni Bani subiici, permisissent; verum incorporatio ad rationem Hungariae adursa, et Comitatus illi iurisdictioni extantis iam 1741. Consilii Lottlis subiecti fuissent." p. 6. Nescio, inquam, quid ad hoc dicam: articulum 118. A. 1715. legi ac relegi; nec tamen solos Croatas quaestionatorum Comitatuum reincorporationem petiisse et ursisse, in illo reperi: Laudatus arlus sic sonat: Humillimis petitis Statuum et OO. memoratorum Croatiae ac Sclavoniae (communi regni Hungariae Statuum et OO. voto) annuit perbenigne Sua Maiestas Caesarea et Regia, ut medio proxime instituendae Commissionis, adhibito etiam ad id Cau-

sarum Regalium Directore, vel alio idoneo subiecto, Fisci Regii nomine; de modo ac formalitate ad Sacram Coronam reincorporationis inferioris Slavoniae, Comitatuumque in ea existentium cognoscatur, et determinetur ad benignam Caesareo Regiae Maiestatis ratificationem. A. 1715. 1723. et 1741. — Quidsi nec Croatiae ac Slavoniae, nec regni Hungariae Status et OO. quoad Slavoniam inferiorem, fuerant in claris?! Sed dicam directe: Status et OO. regni Hungariae dictis Comitatibus Banatui Slavoniae incorporandis, securitatis contra Turcas, tunc adhuc periclitantis, studio consensisse.

Croatiae totius cum Bosnia et Servia recuperandae spem felix armorum Caesareo-Regiorum ultimo contra Turcas bello successus aperuit; sed technae Borussicae interceperant: Pacificatione Sistoviensi A. 1792. confecta: Limites Croatiae ad normam, iam prius a Josepho II. Imp. definitam (ad Unnam usque). exacti, cetera Musulmannis reddita. Nihil tristius Hungaris accidere poterat, quam Belgradum, Orsovam, Gradiscam, Dubiczam, aliaque loca, tanta sangvinis et sumtuum effusione Turcis erepta, rursus iisdem reddere. Neque dolorem lenire, iacturamque sarcire poterant ea, quae Turcae nobis cesserant; nempe, veterem Orsovam, una cum circulo provinciae ipsius usque Czernam et partem Unnacensis districtus incluso Zettino et Dresnicka." Katona Hist. Crit. T. XL. p. 948. — Croatiae partis ac Slavoniae, tot bellis retentae, pars Francis cessit, pace Vindobonae A. 1809. dictatae articulo II: „Omnis regio in dextera Savi ripa sita, inchoando ab illo puncto, quo fluvius hic ex Carniolia erumpit, secundum hunc fluvium Bosniae limites usque; nempe pars provincialis ter-

ritorii Croatiae, sex militares districtus Croatiae, Flumen, et Hungaricum littorale; — omnesque reliquae provinciae, cuiuscunque nominis, in dextra Savi ripa, sitae, valle fluvii huius limites constituente." Sed acerba haec iactura brevi pace Parisiis A. 1815. XXI. Nov. confecta revindicata: „In Besitz Se. Kais. König. Apostolischen Maiestät in Folge des letzten Krieges wieder genommen sind: „Croatien am rechten Ufer der Saus, Fiume, das ungrische Littorale, und der District von Castua." Apud Klüber. Cessit hoc Croatarum ac Slavoniorum insigni merito ac laudi: Benigni rescripti A. 1813. 25. Augusti per SS. Suam Maiestatem editi, documento: „Quod Status et OO. regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae, nunquam obliteranda Patrum vestigia secuti, in ancipiti publicae rei Statu, novum atque perenne inconcussae in Suam Maiestatem SS. Augustamque Domum fidei et fidelitatis non minus, quam insignis in Patriam amoris, ac in defendenda avita libertate et existentia zelum dignum, quod sera aemuletur posteritas, posuerint monumentum." Item medio Benigni rescripti ddo. 23. Julii 1814. editi declaravit: „Quod insurrectionalis fatorum regnorum Militia talia in Martio campo fortitudinis et disciplinae militaris ediderit specimina, ut a veterano Milite superata non fuerit."

§. 89. Ex his omnibus, quantum sat, disputatis, liceat concludere: Primitivos Hungariae limites etiam ultra Danubium, per regiones Dravo et Savo interiectas, patuisse; Partes Pannoniae intra Dravum et Savum a Croatis obtentas, Reges nostros Banis, gentis more; eas vero, quae Bulgarorum ad orientem fuerant, cum Hungariae Comit., Jurisdict. Palatinorum regni ac Curiae Regiae Judicum subordinasse o r d i n a r i a e. Hae, a Tur-

cica servitute erutae anno primum 1741. arlo 50. sunt regno, ac Banis Slavoniae legetenus, ob slavici labii incolas, nomine Slavoniae inferioris: (quae antea trans Savum fuerat) subiectae: Ex quo illae Slavoniae superioris nomen cepere, a partibus vero Croatiae retentis, quibuscum sub unum redactae sunt magistratum, Croatiae nomine sunt compellatae. Si quae Sententiam hanc nostram manent dubia, diplomatibus ubertim praemissis, spero, sufferenda.

---

# Regestum

Codicis Diplomatici supplementare ab anno 1000—1400.

Ad tomum VII-um spectantia.

Nationis Hungarae primordia, virtus ac constitutio.

Protorex Stephanus Seruientibus Ecclesiae Colocensis libertates ac iura largitur poene nobilitaria. Circa A. 1001.

Idem Protorex generationis Woikfi Satori terram inter Dravum et Sauum donat. V. Dipl. ad an. 1228.

Eiusdem piae extra regnum fundationis vestigia c. a. 1007.

A Protoregis obitu vices regni Hungariae aduersae A. 1037—1047.

Petrus Venetus coronam imperialem a Papa accepisse fertur. A. 1041.

Bretislaus, Bohemiae Dux, Ecclesiae S. Adalberti Brzewnovensi ob merita Guntherí Eremitae, Ptotoregis Stephani cognati, donationes impertitur A. 1045.

Bela, al. Benyn donationem Woykio a Protorege factam, auget V. Dipl. A. 1228.

Andreas. Rex Hungariae, nomina Jobbagyonum equestrium, peditum, vinitorum, agricolarum, quos cum possessione Gamas Ecclesiae S.

Aniani de Tichon donauerat, enumerat, metasque distinguit. A. 1055.

Alterum Andreae regis donationalium fragmentum. A. 1055.

Otto Comes Simigiensis, Monasterii S. Jacobi de Silisio fundator, de patronatu eiusdem disponit. A. 1061.

Formula iuramenti a Gregorio VII. Papa Episcopis Hungariae praescripta cir. A. 1077.

Ladislaus, Rex Hungariae monasterium in SzentSzegh pro Benedictinis fundat ac dotat. Anno 1078.

Idem Ladislaus possessiones Abbatiae de Tichon, signanter villam Gamas, metis circumscribit. A. 1093.

Fabianus Colocensis Episcopus A. 1093.

Idem Ladislaus Szekeliis, in Transilvania, singulares donat immunitates. S. A.

Colomannus R. H. possessiones monasterii S. Hyppoliti de Zobor reuisas confirmat. A. 1112. (Has integras nemo protulit hucdum; ex iis patet, monasterium illud a S. Rege Stephano neutiquam fuisse fundatum).

Stephanus II. R. H. Monasterio S. Benedicti de iuxta Gron terram etiam Chonteleke, ad Tibiscum, donat. A. 1124.

Bela II. R. H. fundationem Praepositurae S. Stephani de Bozok pro Praemonstratensibus specifice exponit ac confirmat. „Joannes Notarius filius Tybus, de his omnibus privilegium Vaciae sigillo regali consignaverat. A. 1135. (Priuilegiales hae integrae productae nondum sunt.)

Idem Bela dotem ac iura Ecclesiae S. Martini super montem Pannoniae, firmat et auget „A. 1137. epacta concurrente quarta celebrato Paschate tertio Idus Aprilis.

Fridericus Imp.. Ducatum Austriae pro Leopoldo Babenberg. cum officio in Ungariam duodecim viris per mensem propriis expensis seruiendi, constituit. A. 1156.

Priuilegium Geysae II. R. H. super donatione Walteri, monasterio de Gyzing facta cum metis. A. 1157.

Idem Geysa strenuis militibus Godefrido et Alberto, militibus strenuis euocatis, possessiones Saar, Geroth, Locsmán, et Saarad (Eszterház) donat s. a. Ex originali.

Idem Geysa templum Hierosolimis pro transeuntibus fundat, domum hospitalem S. Stephani de Strigonio dotat et immunitat. S. a.

Stephanus III. R. H. Stephano Nyári e partibus Sarmaticis oriundo terram Bedeg confert A. Domini 1161.

Idem Stephanus donationem Patris sui strenuis militibus Godefrido et Alberto factam, lite Pestini intentata, adiudicat et roborat. „Est autem scriptum ab Incarnatione Domini anno MCLXXI, regioque sigillo sigillatum per I. Capellae Magistrum.“ Originale.

Henricus secundus Archidux Austriae Stephani III. R. H. Socer. A. 1172.

Theobaldus S. Sedis A. in Dalmatiae ac Slavoniae partibus Legatus Eqiscopatum Fariensem Archiepiscopatui Spalatino subordinat. A. Inc. D. 1181. Ind. XIII. Pont. Alex. PP. III. anno XXII.

Vrbanus III. PP. domos hospitales per Hungariam in suis iuribus et immunitatibus confirmat, in huiusque indicium ad vnciam auri annue pendendam obstringit Cir. an. 1186. Origin.

Praepositus ac Capitulum Quinqueeccle. diuisionem filiorum Simonis de Siklós, de genere Kan

exhibet Datum p. man. Magri Petri Lect. anno gracie MCXCI. mense Marcio.

Leopuldus Dux Austriae II. Geysae II. R. H. gener, a nepote suo Rudolpho, Stiriam, ante ab Hungaris possessam, vigore testamenti aquirit.

Innocentius III. PP. in archiepiscoporum Hydruntini ac Spalaten. Andreae Duci contra Emericum regem adhaerentium, electionem inquirendam Praesulibus Hungariae defert. Datum. Lat. III. Kal. Januar. A. 1196.

B. III. R. H. fundationem Monasterii B. V. de Monte per Dominicum Banum coram se factam suo firmat privilegio. Dat. p. m. Cathapani Alb. Praep. Cancellarii A. 1195. Venerab. etc. Ex Originali correctum.

Idem Innocentius Joannem Capellanum suum ac Simonem Subdiaconum a latere suo ad preces Vulcani Dalmatiae ac Diocliae Principis, in Dalmatiam ablegat. Dat. Lat. A. 1198.

Idem Innocentius Vulcano Dalmatiae ac Diocliae Principi suos commendat Legatos, atque Archiepiscopo eiati pallium mittit. Dat. vt supra A. 1198.

Rerum mercimonialium in Hungaria species, aestimatio, tariffa. A. 1198. subnexae Literis regis Emerici, Capitulo Strig. concessis.

Idem Vulcanus Innocentio III. PP. pro Legatis submissis gratias dicit, eorumque acta notificat Anno 1198.

Otocarus, Rex Bohemiae, Emerici regis Hungariae Sororius A. 1199.

Innocentius III. PP. iura et libertates Cistercicnsium B. M. de Monte apostolica sancit auctoritate. Dat. Lat. — XIII. Calend. May Indictione VII. A. 1204. Pontificatus D. Innocentii Papae III. an-

no VII. cum bulla pendente ac nominibus Cardinalium.

Andreas, R. H. Ciuitati Nonae in Croatia, metis specifice designatis, priuilegium largitur An. 1205. kalendis Augusti.

Innocentius III. PP. manus in Sacerdotes temere iniicientes excommunicatione plecti, et absolvendos Romam inuiari iubet. Dat. Romae ap. S. Petrum Id. Febr. Pontificatus nostri anno IX. (1206) L. bullae.

Idem Innocentius bona et possessiones Abbatiae B. V. de Monte occupatas reuindicari iubet. Ibid. A. 1206.

Sebauna, Comes Almisae, cum Petro Ziano Venetiarum, Dalmatiae ac Croatiae Duce, edito solenni diplomate confoederatur. Dat. Almisae A. 1208. III. Idus Iuny.

Andreas R. H. possessiones ad Abbatiam S. Aniani de Tihan pertinentes, subditis ac metis enumeratis, in specie confirmat. A. 1211. (Priuilegium isthoc a nemine hucdum est productum)

Idem Andreas vinitorum Ecclesiae Tihanyensis in villa Telky nomina designat. A. 1211.

Honorius III. PP. Belam Andreae regis Primogenitum, Otocaro, Bohemiae regi, commendat, A. 1211.

Articulus metalis terrarum Ecclesiae S. Stephani Cruciferorum de Alba in Comitatu Tolnensi existentium. Anno 1121. E priuilegio Andreae regis.

Innocentius IV. PP. querelam Episcopi Veszprimien. assumendam, decidendamque iubet. Anno 1212.

Praeposituræ de Lelesz fundationalium quoad metas, ac conditionarios supplementum, ad Cod. Dipl. Tomo III Vol. I. p. 162. A. 1214.

Idem Andreas Abbatiae de Tihan alteram villam Gámás donat. Anno regni suo nono, seu Anno 1214.

Capitulum Varadinense Emerici R. H. donationales A. 1199. emanatas, pro Magistris Onth et Leel transcribit, Dat. in Dominica circumdederunt me A. 1215.

Andreas R. H. Tibaldi de Meléthe, alias Barna, virtutem ac seruitia donata terra remuneratur. A. 1217.

Abbatia de Tapolchan sub initio conuersionis Hungarorum per terrae Dominum Misidaehi nomine fundata floret. A. 1217.

Honorius III. PP. praeiudicio Abbatiae montis Pannoniae inferendo medelam ferri iubet. A. 1219.

Metae terrarum ab Ochuz Bano Ecclesiae Zagrabiensi in cambium collatarum A. 1221. Supplementum ad Cod. Dipl. Tomo III. Vol. I. p. 320.

Idem Honorius Abbati S. Benedicti, in Poloniam per regem misso, per absentiam a praepotentia Archiepiscopi Strigonien. iuris remedio cavet. A. Pontificatus nostri quinto (1220) quinto Idus Marty. Dat. Laterani.

Litis per compromissos arbitros: Fratrem Gerardum Capellanum domus templi, castellanum item, Jobbagyonem castri, ac Maiorem villae Sopron compositae specimen. Enumeratis testibus sub duobus sigillis pro Praeposito de Chorna, ac Martino de villa Horpach. S. a.

Bela Rex primogenitus Andreae R. H. inopiam Ecclesiae S. Michaelis de insula iuxta Budam collato molendino, quod est ad Pu[illegible]dnuk, subleuat. A. 1220. Dictum vero molendinum est iuxta molendinum de Pilis, et est collatum Fratribus S. Augustini. LS.

Idem Bela, Rex iunior, Jobagyonibus S. regis de Goriza seruitiorum merito terram Klokoche in Croatia sub onere exercituandi, cum mardurinis, confert. Datum est hoc priuilegium per manus Mathiae Praepositi Zagrab. Cancellarii nostri A. 1224.

Honorius III. PP. Belam primogenitum regis Hungariae ob vxorem receptam, a Patre persecutionem passum, regi Bohemiae commendat. Lat. XXVII. Jan. A. 1224.

Andreas R. H. Ecclesiae B. Michaëlis de insula leporum duas mansiones castrensium de Zulgageur in villa Jeneö, rusticis nomine tenus consignatis, donat. A. 1225. regni autem sui vigesimo secundo.

Idem Andreas possessiones monasterii de Monte Alto, per Comitem Bors fundati, enumerat ac confirmat. A. 1225.

Capitulum Strigon. de concordia inter Abbatiam S. Benedicti ac Jobagyonem castri Bars ratione tertiae partis tributi in Gorincha confecta testatur. A. 1226.

W. (Vincentius) Episcopus Nitriensis. A. 1226.

Dionysius Comes Palatinus. possessiones inter Dravum et Sauum a Protorege Stephano ac Bela I. familiae Woyk donatas, Sententia mediante adiudicat. Datum per manus Mathiae nostri Notary. A. 1228. Andrea victoriosissimo rege, filio tertii Belae regnante.

Idem Andreas praemissam Dionisy sententiam confirmat. Datum per manus Magistri Bulchu aulae regiae Cancellarii et Jaurinensis Praepositi. A. ab Incar. Dom. 1228. Venerab. etc.

Idem Andreas perpetuitatibus castrensium per filium suum Belam revocatis terram controuersam Praeposituræ S. Michaëlis de Chorna deberi adiu-

dicat. Datum et cet Incar. 1228. regni autem nostri anno XXV. L. S. appressi.

Abbas et conventus Tihanyen. quemdam incolarum de Gámás libertate Ecclesiae suae seruientium donant. Annus deest.

Gregorius IX. PP. in monasterio de Keu, A. Ep. alias Banmonostra, prouinciae Sirmien. dioeceseos Colocensis, per Vgrinum Episcopatum Sirmiensem instituit vel potius restaurat. Datum Perusy. XIII. kal. Febr. Pontificatus nostri anno secundo (20-a Jan. A. 1229.)

Idem Andreas Ecclesiae Albensi in villa Teleky Cot. Simegh. donationem sub bulla aurea impertitur. A. 1229.

Nomina possessionum, portionum possessionariarum, cum oppidis ac districtibus ab antiquo ad Praeposituram Orod pertinentium. A. 1230.

Comes Bors pro possessionibus mala fide alienatis Monasterio suo B. V. de Monte alias donat. Dat. A. D. 1233.

Bela IV. R. H. de terra quinque aratrorum in possessione Noztop Abbatiae de Beel donata testatur A. 1235.

Capitulum de Ferreo castro ratione dotis ac paraphernalium compositionales edit. Datum III. feria proxima post Dominicam inuocavit. A. 1236. Orig. Coll. Nicol. Jankovics.

Fridericus II. Sueuus Imp. prostratis Mediolanensibus, regem Vngariae, affinem et amicum suum, cum balistariorum equitum copia Veronam euocat. A. D. 1238.

Capitulum Jaur. Judiciales Comitis Chak super confirmatione terrae Wincha literis suis roborat. A. 1238.

Gregorius IX. PP. cum clerico ab irregularitate dispensato, ut curam animarum suscipere valeat, dispensari curat. A. 1241. Dat. Laterani VII. kal. Junii Pontificii nostri anno XV.

Innocentius IV. PP. Benedictum Varadinensem postulantibus Jaurinensibus episcopum concedit. Dat. Anagniae V. Id. Juny anno I. (1243.)

Idem Papa a Stephano neo creato A. Episcopo Strigon. iuramentum excipi iubet. Anno I, nona Juny Anagniae. A. 1243.

Idem Bela, ut Martinus Banus, terram suam Leand, Monasterio Saagh, in quo Praemonstratenses collocaverat, donet consentit. A. 1245.

Idem Bela pro Bona, Vankich, Dubak et Tyba terras castri Honthensis Palachta, Nenye, ac Kiskeszi donat. A. 1245.

Idem Innocentius Belam Hungariae regem ad ducatum Austriae vacantem occupandum Regi Romanorum commendat. A. 1247.

Dionysius Banus a S. Gerardo praeposituram de Türje fundat possessionibusque donat. A. 1247.

Mundiburgii ac testamenti in fauorem Monasterii Bors per Ivan militem Domini regis confecti specimen. A. 1248. L. duorum sigillorum.

Bela R. H. terras castri Neograd Szellő ac Rendweg custodi Ecclesiae Strigon. confert. A 1248.

Idem Bela Monasterium S. Aegidy. de Ujhely pro eremitis S. Pauli fundat circa A. 1249.

Idem Bela pro Ecclesia Albensi metales elargitur. A. 1249,

Idem Bela Abbatiae S. Hyppoliti de Zobor monimentum, non tam malitia hominum quam vetustate vitiatum, reambulatis prius possessionibus pacifice tentis, restaurat. Datum Anno Incar. Domini

1249. kal. decembris regni autem nostri quinto decimo. etc.

Innocentius IV. PP. Stephano Duci, Belae regi Patri reconciliato, donationes in regno Siciliae impertitur. A. 1251.

Abbatia Tihaniensis ex occupatoribus terrae Gámás seruum Skomos exsolvit ac libertat. A. S.

Bela IV. R. H. monasterium Ordinis Praemonstraten. B. M. V. de Thurocz liberalissime fundat, dotat, ac terrarum metis circumscriptis, libertatibus recensitis, literas suas aurea bulla munit, A. 1252. regni nostri anno decimo septimo. Dat. et act. per man. R. Patris Benedicti, A. Ep. Colo. Cancellary, venerabilibus etc. Ex ipsis originalibus redintegratum.

Idem Innocentius regem Bohemiae ad concordiam cum rege Hungariae restaurandam hortatur. A. 1253. 1. July.

Idem Papa pacis inter Hungariae ac Bohemiae reges redintegrandae gratia B. electum Neapolitanum in Hungariam ablegat. 1254.

Collationis piae priuatorum documentum. Anno 1254.

Stephanus, Epis. Jaurinen. Stéphano Abbati de Bors Monostra ius Magistratus capellarum in bonis monastery confert. A. 1255.

Idem Bela metales pro Monasterio S. Joannis B. de Jaszov elargitur A. 1255. Datum per Manus Magistri Smaragdi, Albensis Ecclesiae Praepositi V, Cancellary. Ex transumto Ferdinandi A. 1539. emanato.

Idem Bela metas possessionum a Fratre suo Colomanno, et a se Praepositurae de Jaszov dona-

tarum, per capitulum Agriense reambulari iubet. A. 1256. Dat. per man. M. Smaragdi, — sexto Idus Nouembris A. D. 1256. regni autem nostri anno vicesimo primo. Necdum editae.

Fassionales de terra Dienesz per Chek filium Nicolai Monasterio S. Martini, Montis Pannoniae, vendita. A. 1258.

Stephanus, totius Slauoniae Banus, litem contra Jordanum, Militiae Templi per Hungariam et Slauoniam Magistrum, iniuste motam agnoscit, sopit ac testatur. Datum Zagrabiae anno ab Inc. D. 1258. L. S.

Familia de Zolgageur monasterium pro Benedictinis in monte Szamobor fundat. A. 1258.

Vrbanus IV. PP. iura, priuilegia, libertates OrdinisCisterciensium violata expostulat, obseruandaque praecipit. Dat. Viterby tertia Nonas May, pontificatus nostri anno I. L. S. (anno. 1260.)

Henricus Palatinus litem de particula terrae Barathy, Ecclesiae Jaurin. per arbitrium compositam attestatur. Anno A. 1260.

Laurentius de Keseo, de genere Ratolt coenobium S. Jacobi de Zala pro Eremitis S. Pauli fundat et dotat. A. 1260.

Prmizlaus Otocarus, Dominus regni Boëmiae, Guntheri Eremitae respectu monasterio Brzewnouiensi villam Churomintwi vendit. Dat. Pragae per manum Magistri Arnoldi Notary. A. 1260. Sexto kal. Maii.

Emericus Palatinus partem vnam terrae Baráthy udvornicorum regalium capitulo Jaurinensi arbitrio proborum virorum addicit. A. 1261.

Fr. Hermanus, Abbas de Altach canonisationem Guntheri Eremitae vrget A. 1261. 9-a Mart.

Vrbanus IV. PP. de pecunia in Hungaria, Boëmia, Polónia collata Venetias mittenda scribit A. 1261. XXVIII. Sept.

Stephanus Junior rex Hungariae priuilegium patris sui Gallo Transilvano Episcopo a. 1246. concessum transcribit, ac roborat. A. 1262.

Bela IV. R. H. fundationales Praepositurae S. Stephani de Bozok, a Bela II. concessas, transcribit augetque. Datum per manus Magistri Farkassy, electi Albensis, Aulae regiae V. Cancellary Anno D. 1262. Idus Oct. regni eius anno vigesimo septimo.

Literae Capituli Strigon. fassionales super terra Barbata Monasterio S. Benedicti de iuxta Gron donata A. 1262.

Vrbanus IV. PP. Belae, Ducis Slavoniae, castra ac ditiones per Hungariam confirmat A. 1263.

Bela IV. R. H. praeposituram S. Eustachy de insula Chuth fundat, ac dotat. A. 1264.

Capitulum Alben. compositionem litis inter Fr. Rodoanum Cruciferum de Alba, et Achyn de Gerenas, factam exhibet. A. 1264.

Clemens IV. PP. expeditionem crucis contra Tartaros praedicandam commendat. A. 1265

Capitulum Veszprim. literas conuentus Tihan. annis 1264 et 1260 editas, cum colonis de Gámás compositionales, repraesentat. A. 1267.

Bela IV. R. H. compromisso non stantes iactura octo mansionum plectit. Dat. per man. Demetrii Praep. Alben. V. Canc. A. 1269. regni nostri trigesimo quarto.

Stephanus V. R. H. populis Abbatiae S. Martini demonte Pannoniae immunitates certa sub restrictione confert. Dat. per man. M. Benedicti. Orod Eccl. Praep. V. Cancell. A. 1270. VII. Idus Novem. regni autem nostri anno primo.

Idem Stephanus ciuibus de Zathmár libertates impertitur. A. 1270.

Gregorius Praep. Bachien. duelli, inter A. Episcopi Strigon. et Comitis de Sáros pugiles suscepti, causam ac compositionem exhibet. Datum Anno 1270.

Idem Stephanus formam pacis, quam cum Ottocaro R. B. iniit, Posonii promulgat A. 1271.

Conventus cruciferorum de Alba dispositionem Chato, fily Thus, udvornici regalis de Telki, testamentariam circa terras emtitio iure comparaparatas exhibet. A. 1271.

Gregorius IX. PP. pacem inter Hungariae ac Bohemiae reges confectam firmat ac submittit. An. 1272. quinta May.

Donationalium Monasterii B. V. de Abraam exemplar per Moys palatinum, Comitem Sopron, ac Judicem Cumanorum, editarum exemplar authenticum. A. 1272.

L a d i s l a u s III. R. H. Laurentio Comiti Sopron. pagum quemdam donat. Datum p. man. Benedicti Orod. Praep. V. Cancellary A. D. 1273. regni autem nostri anno primo, Venerab. etc.

Idem Papa vti reges Franciae, Angliae, Scotiae, Noruegiae, ita etiam Vngariae, ut in Concilio Lugdunensi praesentiam suam exhibeant, requirit. Datum apud vrbem veterem Idibus octauis Aprilis Anno II. (13. April. A. 1273).

Idem Ladislaus Castrenses Ferrei castri, in expugnatione castri Jaurinen. bene meritos, in coetum seruientium regalium transfert. Datum vt supra A. 1273. VIII. Kal. Juliii, regni autem nostri anno 1. Venerab. etc.

Comes Tristanus ac fratres sui de genere Jak conuentionem amicabilem inter se ineunt ratione

terrarum inter Repcham ac Keurus. Dat. in Lypoch sexta feria post quindenam S. Joannis Baptistae s. a.

Gregorius Praep., et capitulum Strigon. Palatium Strigon. Magistro Ugrino propter infidelitatem ademtum, Valteroque Comiti Budensi, donationalibus literis mediantibus statutum, attestatur, Dat. p. man. M. Sixti Lectoris A. 1273. feria secunda proxima ante festum omnium Sanctorum.

Idem Capitulum donationes Ladislai R. H. super castro Medvevár donato emanatas transumit. An. 1273.

Idem Ladislaus, vnione cum matre Regina composita, Laurentio, filio Comitis Kemen, possessionem Vághujhely, Monasterio S. Martini, montis Pannoniae assignatam, restituit. Dat. per man. M. Benedicti, Budensis Praepos. V. Cancellarii A. 1274. X. kal. Febr. regni autem nostri anno secundo. Vener. etc.

Idem Ladislaus Villarum quarumdam cambium ratum habet. Datum, ut supra.

Idem Ladislaus possessionem Tavernici sui, absque herede decedentis, Megyer vocatam, filiis Gabriani a Patre suo collatam, roborat. Dat. vt supra. XII. kal. Septembr. Indictione II. Regni autem nostri anno II. Verabilibus etc.

Idem Ladislaus in causa Praemonstratensium de Hatvan Lampertum, Episcopum Agrien. violatae reuerentiae regiae, ac violentiae temerariae, Gregorio Papae IX. incusat. A. 1274.

Capitulum Budense literas claustri B. V. de insula leporum, indicatis compluribus vicinis, transcribit. A. 1276. feria tertia proxima post Dominicam Judica.

Rudolphus Romanorum, et Ottocarus Bohemiae Reges possessiones, ac munimenta Hungariae ademta solenni stipulatione restituunt. A. 1276. Actum, et datum in castris ante Viennam A. D. 1276. Sexto kal. Decembris.

Joannes M. Tavernicorum de lite ratione terrae Sydan composita testatur. A. 1276.

Idem Ladislaus iura, libertates, ac territorium Civitatis Bakabanya ordinat S. Anno.

Ottocarus, Bohemorum Rex, vniversorum a Hungaria possessorum restitutionem obligat. Datum Viennae, pridie Non. May. indictione V. A. 1277.

Idem Ottocarus concordiae, cum Rudolfo, Romanorum rege, conclusae, Ladislaum Hungariae regem includit. Datum Pragae anno Domini MCCLXXVII. Sextae indictionis.

Conuentus SS. Trinitatis de calidis aquis literas Belae Regis, quibus Monasterio S. Michaëlis insulam leporum restituit, auxitque anno 1249 emanatas, transcribit. Dat. A. D. 1278. Septimo kalen. Junii.

Capitulum Veszprimien. de possessione Addon, per relictam Alexys de genere Zalok, Magistro Petes vendita, testatur, A. 1279.

Carolus, Rex Siciliae, in foedere cum Rudolfo, romanorum rege, sancito, ius regem Hungariae defendendi sibi reseruat. Actum Neapoli A. D. 1280, die X. Maii VIII. Ind. regnorum nostrorum Jerusalem anno IV. Siciliae XV.

Idem Ladislaus Vdvornicos regales, sub eadem conditione, Sorori Suae Moniali confert. A. 1280.

Idem Ladislaus monasterium de Kladowa pro Eremitis S. Pauli fundat. A. 1281.

Formula, qua Martinus PP. Praeposituram S. Petri Vetero-Buden. confirmavit. A. 1282.

C. Nicolaus, filius Julae, Coenobium OO. SS. pro Eremitis S. Petri in Bajcs fundat. A. 1283.

Compositio decimarum ratione villarum Környo ac Déd. intra Weszprim. ac Jauri. Eppos A. 1283.

Nicolaus, C. Palatinus, Henrici Bani filius, possessionem suam nomine *Laztay* cambiatam Ecclesiae B. V. de Monte, appellatis testibus, confert. Actum et datum Anno ab Incarnatione D. 1285. XVI. kal. July.

Honorius IV. PP. Episcopum Veszprimien. decimas de Krenfelde percipere debere, decernit. Pontificatus sui anno IX. (1285.)

Idem Ladislaus coenobium S. Spiritus de Pilisio pro Eremitis S. Pauli fundat. A. 1287.

Claustri S. Annae de Strigonio dotatio. Anno 1287.

Capitulum Castriferrei Nobiles de Bogud turrim suam nece per suum fratrem perpetrata ademtam, Nobilibusque de Chob a rege collatam, oblatis aliis possessionibus redemisse, attestatur. Anno ab Incar. D. 1287. Magistro etc.

Nicolaus V. PP. Dominicanis Hungariae ad partes maioris Vngariae profecturis missiles elargitur. Datum Reate III. Non. Sept. A. I. (3. Sept. 1288.)

Sub eodem Nicolao forma electionis liberae. Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem VII. kal. Marty Pontificatus nostri anno II. (23. Feb. 1289.)

Formula Juramenti a Theodoro Albensi Praeposito Papae praestita. A. 1289.

Idem Ladislaus in parlamento, seu congregatione totius regni, Archiepiscopo Strigonien. sub-

stractas decimas de Scepus restituit. Datum prope Fuen in vigilia B. Joannis B. A. D. 1289.

Conuentus de Lelesz literas Stephani M. Tauernicorum praeceptorias et Conuentus de Jaszo contra de Szolnok protestatorias, transumit. Facta et data in Capitulo Scepus. in festo B. Jacobi Apostoli A. D. 1289.

Fr. Benedictus, Praepositus de Chorna, ad Monasterium Rayk orbatum reformandum, de suis Fratrem Walterum Comiti Ochuz mittit. S. a.

Idem Ochuz Patronus Monasterii B. V. de Rayk per cognatos constituitur. Datum in Kapornok in festo Natiuitatis B. V. A. D. 1289.

Nicolai V. PP. in Ladislao rege ad frugem reducendo, regnoque Hungariae tutando, cura. Datum apud Vrbem veterem X. kal. Aug. Anno III. (28. Julii 1290.)

Idem Papa, ne Rudolfus R. Romanorum, Hungariam filio suo Alberto, Austriae Duci, in feudum conferat, requirit. Dat. vt supra III. kal. Jan. Anno III. (28. Dec. 1290.)

Andreas III. R. H. ius patronatus Regium in Monasterium S. Joannis B. de Jászó reuindicat. Dat. per man. M. Theodori, Albensis Ecclesiae Praepositi V. Cancell. Anno D. 1290. XII. kal. Jan. regni autem sui anno I.

Rudolfus, Rex Romanorum Regnum Hungariae filio suo Alberto, Austriae Duci, in feudum confert. A. 1290.

Capituli Quinqueecclesien. de iniuriis Capitulo Strigon. in causa decimarum obvenientium per ciues Strigonien. illatis testimoniales. A. D. 1291.

Compositionales ratione decimarum de Kerenfelde inter Episcopum Veszprim. ac Abbatem Belae Fontis, interuentae. A. 1291.

Domus Hospitalis S. Regis Stephani de Strigonio fassionales Capituli Strigon. de dimidietate terrae Comitis Deda, metis assignatis, quatuor marcis vendita, transumit. A. 1292. In capite kal. May.

Lodomerius A. Ep. Strigon. Praepositurae S. Emerici de Thul. Dioeces. Quinqueccl. pro Augustinianis Discalceatis fundationem, dotationem a Clemente IV. PP. anno 1275. confirmatam, transscribit ac roborat. Dat. Strigonii tertio die Octauarum S. Regis Stephani. A. 1294.

Idem Andreas Coenobium S. Ladislai de Kékes pro Eremitis S. Pauli fundat. A. 1294.

Idem Andreas de vinis decimalibus promontorii Budensis decernit. A. 1294.

Baldus Comes Scepus. Scultetiam a Comite Jordano, ac M. Elia Vernero certis sub conditionibus delatam attestatur. Dat. mense Sept. A. 1295.

Conradus de Owar coenobii S. Ladislai de Baranya pro Eremitis S. Pauli fundator A. 1295.

Contractus arendatitius decimarum de Kerenfölde. A. 1295.

Idem Andreas possessiones Monasterio de Kolosmonostor ademtas recaptivari, restatuique iubet. Dat. Budae in festo B. Joannis B. an. D. 1296.

Claustri Monialium S. Clarae, in Hungaria primi, ortus. Dat. Romae ap. vrbem veterem Idus Sept. A. 1297. Pontificatus D. Bonifacii episcopi. Anno III.

Prorogatoriae A. Ep. Strigon. in lite decimarum de Kerenfölde. A. 1197.

Idem Andreas Buczko, filium Zomba de Petend, in districtu Challoköz, Castrensem de Poson Seruitiorum merito in coetum verorum Nobilium transfert. A. 1298.

Literae decimas Episcopatus Veszprim. concernentes. A. 1298.

Petrus Ep. Transilvan. cum Monasterio B. V. de Klusmonostoa possessiones cambiat. Dat. in Klusvar in festo exalt. S. Crucis. A. 1299.

Idem Andreas Rex e sententia Stephani, curiae Suae V. Judicis, capitulum Strigon. in causa Palatii Strigon. conuincit. Dat. per manus M. Stephani A. Diaconi Alben. Ecclesiae Transiluaniae, V. Cancellarii pridie calendas Aprilis A. 1300. regni autem nostri an. X.

Capitulum Vacien. concambium inter Comitem Mikó, ac filios Dionysii, ratione terrarum Puch ac Zellen confectum, cum metis distinctis, exhibet. Dat. p: man. M. Henrici Lectoris A. 1300. in crastino Beati Galli Confessoris, Venerabilibus Praeposito etc.

Conuentus Tihanen. Sententiam Legatorum Pontificiorum super iure coronandi reginas Hungariae inter A. Ep. Strigon. et Ep. Veszpr. disceptato, ab Innocentio PP. III. rati habitam, a Honorio III. PP. confirmatam, transcribit. A. 1300. Datum feria quarta post festum Pentecostes.

Conuentus Cruciferorum de Strigonio quaestionem circa possessionem Dalmad. pacifice compositam attestatur. Dat. in octauis Paschae. Anno D. 1300.

M. Vir. N. de Feoghly monasterium S. Hieronymi, vulgo Juffa pro Eremitis S. Pauli fundat Anno 1300.

Bonifiacius VIII. PP. de decimis papalibus per Hungariam colligendis, et administrandis in subsidium terrae S. prouidet A. 1300.

## Ad Tomum VIII spectantia. A. 1301—1342.

Bonifacius VIII. PP. negotium decimarum pro subsidio terrae sacrae colligendarum Bonauito S. A. Legato per Hungariam concredit. A. 1301.

Idem Bonifatius bono regni studet. A. 1301.

Idem Papa concordiam inter competentes, pro corona regni Hungariae, tentat. A. 1301.

Idem Papa prouisionem vacantis A. Ep. Strigoniensis hac vice sibi reseruat. A. 1302.

Literae compositionales super decimis de Kerenfölde, ac quarta Magistrali de Saságh prope Budam praestandis. A. 1302.

Ladislaus, vulgo Venceslaus R. H. priuilegiales Andreae III. R. H. confirmatorias pro Monialibus do Tyrnauia ratificat. Dat. Budae in die Epiphaniarum Domini A. 1303.

Idem Bonifacius super iure regni Hungariae pro Carolo Roberto Sententiam fert, promulgarique iubet. A. 1303.

Querulosae Benedicti Episcopi Veszprim. propter Ecclesiam S. Gerardi in minori Pest ab Abbate Belae fontis occupatam ad Pontificem literae.

M. Petrus de Soklos, e progenie Magni Julae Bani, monasterium S. Trinitatis de Soklos ab ordine Benedictorum, iure patronatus alienatum, Conuentui S. Crucis in Austria affiliat. A. 1303.

Alexander, Judex Curiae, Abbatiam de Tihan, in possessionibus Gámás et Bolkar, metis reuisis, pacifice relinquit. A. 1304.

Conuentus cruciferorum de Strigonio super terra Fegyvernek-Palagyna, Cot. Honth. Comiti Georgio, filio Exe, centum pensis latorum Viennensium vendita, fatetur Dat. fer. prox. post. Dominicam Judica. A. 1304.

Familia Chabanka, de genere Aba, coenobium S. Joannis B. et Sixti in Veresmarth pro Eremitis S. Pauli fundat. A. 1304.

Epistola Decani N. ad Episcopum Ratisbonensem de intentata regni Hungariae diuisione A. 1305.

Responsum Episcopi Ratisbonensis. A. 1305.

Clemens V. PP. Carolum Regem Hungariae renuentes anathematis sententia percellit. Anno II. Idus Aug. Pictauy (A. 1306. 10. Aug.)

Idem Clemens controuersiam decimalem per Abbatem montis Pannoniae decidi ad Instantiam Stephani Veszprimien. Episcopi iubet. 1311.

Capitulum Scepus literas Capituli Vacien. Immunitates Parochorum de Saaros, complexas, transcribit. Dat. prox. Sabbatho post festum Geruasy. Cf. An. D. 1311.

Nicolaus Epis. Jaurinen. Coenobium B. M. Magdalenae de Jenö pro Eremitis S. Pauli fundat. Anno 1311.

Progenitores familiae Zrinianae Bogdani, Comitis Almisien. fidelia seruitia remunerantur A. 1312.

Emericus Varadin. Episcopus censum colonorum Varad. defigit. A. 1312.

Thomas A. Ep. Strigonien. concessionem Lodomerii, praedecessoris et avunculi sui, circa decimas iubet obseruari. Dat. Pos. fer. quarta post Dominicam inuocauit. A. D. 1313.

Idem A. Ep. iura Custodis Ecclesiae suae vindicat. Dat. Strigonii in vig. Apostolorum Simonis ac Judae beatorum. A. D. 1314.

Idem A. Ep. compositionem pro Custode coram se factam perhibet. Dat. Strigonii in Cathedra S. Petri Apostoli A. D. 1315.

Capitulum Ecclesiae Péchvárad. literas Emerici Regis H. anno 1199. concessas pro MM. Onth

et Lecl. transcribit. Dat. in Dominica circum dederunt A. D. 1315.

Carolus R. H. possessionem Egyered, a Ciuitate ac iurisdictione Comitis Sopron. exemtam, Conrado Judici Sopron. confert. Priuig. A. D. 1317.

Stephanus, Episcopus Veszprim. possessiones Ecclesiae suae St. Endrae etc. cum possessionibus Caroli Regis Herend, Togyon etc. certis sub conditionibus, se cambiasse fatetur Dat. Budae, in festo Beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Anno D. 1318.

Mr Chama, Praepositus Buden. privilegiales Ladislai Regis super possessione Vinch., pro capitulo Strigon. transumit. Dat. in quindenis OO. SS. Anno 1320.

Mr. Andreas, filius Mri. Georgii, qua Patronus, Monasterio S. Mariae de Kedhel, ob disturbia regni nimia paupertate pressi, possessionem vnam oppignorandi licentiam largitur. Datum in Gaar feria sexta ante Octauas Paschae. A. 1320.

Capitulum Poson super dote ac rebus paraphernalibus Dominae Agnes, relictae Matthaei de Villa Pethen, persolutis testatur. A. 1320.

Stephanus Ep. Veszprim. excommunicat Sacerdotes de Segusd, Sasagh, Leveld, et Un, propter decimas abnegatas, et sui sub iurisdictionem A. Episcopi Strigon. translationem A. 1320.

Benedictus Chanad et Ivanka Transil. Episcopi Procuratori ac Plebano Civitatis Cibinien contra tyrannidem Praepositi de Cibinio ad Sedem Apostolicam plena forma appellantibus, Apostolos dant. Dat. iuxta Cibin. Dominica proxima post festum BB. Petri ac Pauli AA. A. D. 1321.

Carolus R. H. literas suas super terra Vdvornicorum suorum de Baráthy, Cot. Jaurin. Alexan-

dro, Castellano suo, de sacro monte Pannoniae donata anno 1311. priuilegialiter concessas, confirmat Dat. p. man. M. Ladislai, Praepositi Titul. Albensis Ecclesiae electi, V. Cancellarii A. 1322. XV. kalen. Dec. regni autem nostri similiter vigesimo secundo.

Obligatoriales super decimis de Addonkés Episcopo Veszprim. soluendis A. 1322.

Thomas, Abbas de Tihan, Jobbagyonibus de vtraque Gámás, multitudine debitorum ac servitiorum pressis, ne alienentur, relaxationem impertitur. A. 1322.

Comes Dominicus, de Saar, Comes Curialis Nitriensis. A. 1322.

Obligatio super decimis Episcopo Veszprim. soluendis. A. 1322.

Idem Carolus donationem M. Donch, Comitis de Solyom ac Lipto, famulo suo Michaëli factam, confirmat. Datum Budae in festo B. Margarethae. A. 1323.

Carolo, aliisque Hungariae Regibus confirmantibus, populi Praepositurae S. Petri de Posega a Palatinorum, ac Judicum Curiae, non a Banorum, iurisdictione fuerant exemti. A. 1323.

Capitulum Castriferrei de Sessione vna, ac iugeribus duobus, terrarum cambiatis, fassionales edit. Dat. feria secunda proxima post Dominicam Palmarum. A. D. 1323.

Valentinus, Praepositus Conuentus B. V. de Thurocz A. 1324. Literae contractuales possessiones Duna Pentele, Szalk Sz. Márton, ac piscationes Danubiales concernentes. Anno 1324. etc.

Capitulum Castriferrei cambiales pro Nobilibus de Csob ac Bugud anno 1287. editas transcri-

bit. Dat. et actum in festo Ascensionis Domini Anno eiusdem 1325. Thoma Praeposito etc.

Carolus R. H. latifundium civitatis Strigon. fidelitatis merito, donata villa Kovácsi auget. Anno 1326.

Capitulum Strigon. de portione terrae Parassa controuersa, amicabiliter cessa, fassionales edit. Anno 1327.

Conuentus Cruciferorum de Strigonio super terra Chalad, Cot. Nitrien. marcis quinquaginta vendita, testimoniales edit. A. 1328.

Idem Carolus libertates Civitati ac Praepositurae Budensi a Geysa II. et Andrea II. concessas, a Ladislao III. confirmatas, priuilegialiter rati habet. Dat. per man. M. Andreae, Albensis Praepositi, V. Cancellarii. A. 1328. VII. Idus Marty, anno regni nostri similiter vigesimo octavo. Venerab.

Idem Carolus fundationales Abbatiae S. Benedicti de iuxta Gron a Stephano II. R. H. concessas, ac per huius successores roboratas, confirmat. A. 1328.

Capitulum Castriferrei literas suas, anno 1325. transcriptiue editas, Magistro Herbordo transumit Dat. in octauis Paschae. A. D. 1328. Magistro etc.

Capitulum Agrien. priuilegiales regis Ladislai familiae de Nagy-Mihály concessas transcribit. Anno 1328.

Idem Corolus terram Crasnitsa noga monasterio Eremitarum S. Pauli de Bakova, metis reambulatis statutam confirmat. Dat. p. man. M. Andreae Alben. Praepositi, V. cancellarii A. D. 1329. XIV. kal. July, regni autem nostri anno similiter XXIX. venerabilib. etc.

Elisabeth Regina Hungariae, monasterium B. M. V. de Bereg dotat. A. 1329.

Literae ius decimarum Episcopi ac Capituli Veszprim. concernentes A. 1329.

Carolus R. H. Castro-Budensi annuas nundinas quindecim ante, et post memoriam Decollationis S. Joannis B. dies duraturas concedit. A. 1331.

MM. Nicolaus et Joannes filii Gelethi, quondam Bani, Aduocato suo Cochlino silvam ad castrum Bajmocz pertinentem impopulandam conferunt. S. a. et l.

Carolus R. H. literas Belae IV. privilegia Ecclesiae Strigon. recensentes A. 1256. emanatas, transcribit ac confirmat. A. 1332. Datum in Vissegrad, in Dominica reminiscere.

Capitulum Scepus metales ciuitatis de Szomolnokbánya transumtas exhibet. Dat. fer. III. post. Reminiscere. A. D. 1332.

Idem Carolus terram Petend, Comitatus Petend, castrensibus ab Andrea III. addictam, abiudicat, Monialibusque de Insula leporum addicit. Dat. in Vissegrad, XI. die octauarum Epiphaniae Domini. Anno eiusdem 1333. regni nostri similiter XXXIII.

C. Paulus, Curiae Regiae Judex, praeposituram ac conuentum de Lelesz in emenda aestimationis, scilicet ducentis marcis, condemnat. Dat. in Vissegrad. XII. die reportationis seriei praesentatae. Anno D. 1333.

Capitulum Vaciense diuisionales inter Dacsoiano, Lukaiano, Dubakianos elargitur A. 1333.

Mikecz, Slavoniae Banus, ciues de Gara, Dubicza, ac Szana, decimas Episcopo Zagrabien. dependere iubet. Dat. in Meave, Sabbatho proximo ante festum S. Laurentii M. A. 1333.

Capitulum Strigon. desolatorem possessionis Iva profugisse refert. A. 1333.

Coenobium S. Pauli de Tolna pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. 1333.

Benedictus XII. PP. literas pro Episcopi Veszprim. decimis decisiuas edit. A. 1334.

Idem Carolus iura ciuium de Baka Bánya confirmat. S. a.

Capitulum Castriferrei diuisionem inter nepotis Opour, Nobiles de Pogh, peractam exhibet. Dat. in octauis Pascae. A. D. 1334.

Idem Carolus literas Andreae III. ciuibus de Torda concessas roborat. Dat. p. man. M. Thatamerii, Albensis Praepositi V. Cancellarii, V. kal. Sept. A. Dni 1335. regni etiam nostri uno similiter XXXV. Venerab. etc.

Wilhelmus Palatinus a Joanne ac Michaële de Saarad possessiones Locsmand et Gerolth a Joanne, Henrici filio, praepotenti Infideli regis ablatas, in Comitatus Sopron. congregatione generali edicit. A. 1335.

Idem Palatinus Abbatem et Populos de Bormonostra a solutione victualium Palatinis praestanda, regiorum priuilegiorum respectu, absoluit. Dat. quarta die congregationis nostrae Sopronii. Anno Dni 1335.

Comitis Ders filius coenobium S. Ladislai in Szerdahely Eremitis S. Pauli fundat. A. 1335

Idem Carolus R. H. possessionem Indt, Cot. Tolnen. a filiis Ugrini iure pleno Capitulo Vaciensi remissam, ac restitutam attestatur. A. 1335.

Violenti actus per V. Comitem Simigh. contra Abbatem de Tihany in villa Gámás admissi documentum. A. 1335.

Evocatoriae Capituli Albensis in causa decimarum pro Episcopo Veszprim. 1336.

Capitulum Bachiense de prohibitione pro Se-

frido, Abbate S. Benedicti de iuxta Gron. in possessione Saagh facta, Carolo regi rescribit Dat. tertió die festivitatis OO. SS. A. D. 1338.

Coenobium S. Catharinae supra Göncz-Ruska fundatur. A. 1338.

Capitulum Vaciense possessionem Ságh, tenore literarum Petri Sirmien. Episcopi ac Capellae regie Comitis, Abbatiae S. Benedicti de iuxta Gron. per Mag. Schele de Kártal restitutam, attestatur Dat. in festo oct. Philippi et Jacobi AA. A. D. 1338.

C. Paulus, Curiae Regiae Judex, recensitis Beati Ladislai de anno 1082 literis, sententiam secundum eam pro Episcopo Veszprim. dicit. Dat. in Vissegrad. A. D. 1338.

Coenobium B. V. de Enyere pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. 1339.

Idem Comes Paulus causas, possessiones Saarad concernentes, reuidet. A. 1340.

Familiae Jabrowszky, de Jabrod Dalmatiae, diuisionales Capitulum Poson. exhibet. Dat. Poson. in festo Dedicat. S. Mich. Archangeli A. 1340.

## Ad tomum IX. Spectantia.

Ludovicus, R. H. Nicolaum, filium Stephani, filii Hahóth, ob praestita multiplicia Patri suo, ac regno seruitia, castro Also Lindva donat. Dat. in Vissegrad, Sabbatho proximo ante Dominicam Laetare. A. D. 1343, regni autem nostri anno I.

Idem Ludovicus, mortuo Roberto, Siciliae rege, ad solium regni, vi pacti Andreae fratri suo praemuniendum, Bohemiae regis ac Morauiae Marchionis cooperationem exposcit. A. 1343.

Carolus Bohemiae regis Primogenitus, Marchio Morauiae, hac in causa Romanum Papam interpellat. Dat. Pragae. A. 1343.

Nicolaus, filius Gilethi, regni Hungariae Palatinus in causa Juris Patronatus monasterii de Saar, pro Blasio filio Csele sententiam dicit. A. 1343.

Capituli castriferrei de terra pignoratitia, sex pensis denariorum receptis, filiis Gogani de Raducz resignata, memoriales. Dat. in festo Margarethe V. A. D. 1343. Comm. Jankovits.

Conuentus Crucigerorum de Strigonio metales suas super possessione Mikola, pro Comite Andrea de eadem, transcribit. Datum in crastino festi beati Michaëlis Archangeli A. D. 1344. Communicavit D. J. Podhraszky.

Capitulum Quinquec. de dimidietate terrae Boor, Cot. Baranya, Capitulo Albensi cessa, sub distinctione metarum fassionales edit. Dat. per man. M. Joannis Lectoris, praesentibus etc. VI. Id. Novembris A. ab Incar. D. 1344.

Joannes V. Archidiaconus de Ungh ad inquisitorias Episcopi sui Agriensis, Nicolai, de commissis excessibus refert Dat. in villa Capus die tertio — A. D. 1344.

Elisabetha regina Hungariae ordinationem Caroli regis de tribus salibus a centenario, in portu Pest Praepositurae Budensi tribuendis renouat. Dat. Budae in festo ad vincula Petri A. D. 1345.

Capitulum Scepus literas Nicolai Episcopi Agrien. libertates Parochorum Scepus. concernentes nouiter transumit. Dat. feria proxima ante festum B. Martini Conf. A. D. 1345.

Capitulum Castriferrei literas suas clause editas pro Clemente de Pogh apertas, patenter nouo

que sigillo munitas edit. Dat. fer. secunda proxima post octavas festi Nati. S. Joannis B. a. 1345.

Andreae, Regis Ludouici fratris, Neapolitanorum regis funesta mors ac funus. A. 1345.

C. Paulus. Judex Curiae regiae, de medietate sessionis in Noszlop per Nicolaum de eadem iure mediante reobteuta, testatur. A. 1346.

Fr. Albertus, Episcopus Nicomediensis, Colomanni Episcopi Jauri. Vicarius Ecclesiam in Frakno consecrat. Dat. A. D. 1347. Dominica ante Pentecosten.

Coenobium B. Magdalenae de Agria pro Eremitis S. P. fundatur. A. 1347.

Clemens IV. PP. Nicolaum Laurentii, qui romanam vrbem sedi Apostolicae eripere attentauit, Ludouici regis Hungariae fauore fultum, Carolo IV. Imp. querulatur. Dat. Avennione VII Idus Decem. cont. nostri an. VI (7-a Dec. 1347).

Ludouicus R. H. Abbati ac conuentui B. V. de Scepus, e peculiari erga hanc deuotione libertates priuilegialiter largitur. Dat. p. man. M. Thatameri, Alben.. Praepositi V. Cancellary, A. D. 1348. VIII. kal. Nouem. regni autem nostri anno sexto.

Comes Paulus Judex Curiae regiae statutionem duorum aratrorum terrae calumniose prohibentem, in emenda aestimationis sex marcarum, partibus duabus sibimet et tertia aduersario obuenientium, condemnat Dat. Budae XVI. die termini reportationis seriei praemissae. A. D. 1348.

Clausula Diplomatis Ludouici R. H. priuilegiales Patris sui Caroli, Andreae regis priuilegium ciuitati de Torda datum confirmative in se continentes, roborantis anno 1349. Dat. p. man Nicolai, A. Episcopi Strigon. cancellarii, duodecimo kal. men-

dis Januar. regni autem nostri anno septimo. Venerabil. etc.

Capitulum Strigon. binas Thomae A. Episcpi literas pro custode Ecclesiae suae transcribit. Datum in festo B. Agathae V. A. D. 1350.

Coenobium B. V. de Porno fundatur. A. 1350.

Coenobium item B. V. prope villam Sz. Király, vulgo Székelyháza, fundatur A. 1350.

Ludouicus R. H. Praepositum de Zirch decimas de quinque villis suis Domino Episcopo Veszprim. remittere iubet A. 1350.

Conuentus Cruciferorum de Strigonio de particula terrae Saagh annos septem marcis quatuor et dimidia oppignorata fatetur. A. 1351. Datum Sabbatho proximo ante Dominicam Laetare.

Literae decimas episcopo Veszprim. praestandas concernentes A. 1352.

Capitulum Quinqueecclesien. de aureis sexaginta Vilhelmo Cardinali ac Praeposito de Titul per filios M. Philippi de Korogh persolutis testatur. Dat. in crastino octav. supra dictarum A. 1353.

Nicolaus Palatinus literas priuilegiales Praepositurae de Saagh, in congregatione generali Comitatus Honth acceptat. Dat. quinto die congregationis nostrae praedictae in loco memorato. A. 1353.

Ludouicus R. H. Ladislao Urbano, Jacobo, ac Nyxe e conditione populari in coetum exercituantium translatis terras Medue et Tornova-pataka in comitatu Arvensi sitas confert.. Dat. per man. Nicolai Episcopi Zagrab. V- Cancellary A. 1355, XII. kal. Novem. regni autem nostri anno quarto decimo.

Idem Ludouicus literas conuentus cruciferorum de Strigonio de anno 1300. litis circa Almad depositoris pro praeposito de Saagh transcribit.

Dat. Budae feria sexta proxima post festum Pentecostes A. 1355.

C Nicolaus de Zéch, Judex Curiae Regiae nouus, causam peremtorie prorogat. Datum in Visegrad VIII. die termini praenotati. A. 1355.

Capitulum Ecclesiae de Keő literas regis Ladislai super possessione Vaghujhely anno 1274. emanatas pro Nicolao Konth Palatino transcribit A. 1355. Dat. in festo BB. Philippi et Jacobi Apost.

Ludouicus R. H. priuilegium suum, quo literas Ladislai pro Nobilibus de Ryucse concessas, transumit, ratas habet, et in paribus elargitur. Dat. p. man. Nicolai Zagrab. Episcopi. A. D. 1356. VIII. Id. Mensis Aprilis. Venerab. etc.

Idem Ludouicus Nobiles de Peteny Com. Posony e castrensibus ab Andrea III. nobilitatos confirmat. Anno 1356.

Idem Ludouicus Udvarnokios. comprobata in congregatione generali Poson. nobilitari eorum praerogatiua, veros ac genuinos Nobiles edicit. D. p. man. Nicolai Eppi. Zagrab. V. Cancelary. A. D. 1356. VI. Nonas Febr. regni autem nostri anno quinto decimo. Venerab. etc.

Diuturni processus contra Battyanianos euocatorii documentum. Datum feria V. proxima post festum Purificationis B. V. anno Domini supra dicto 1356.

Literae metales possessionis Dienes Monastery montis Pannoniae a Rege Ludouico confirmatae. A. 1356.

Coenobium de Essen per familiam Baxa pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. 1358.

Comitatus Albensis de prohibitione facta ad regem Ludouicum relatoriae. Dat. Albae, feria tertia proxima ante festum beati Georgy M. A. D. 1358.

Portionis possessionariae, per Nobiles de Felcsuth clancularie occupatae, documentum. Dat. feria secunda, proxima post quindenas festi Paschae Domini. An. eiusdem 1358.

C. Nicolaus de Zeech JudexCuriae causam crucigerorum de Alba contra Capitulum Jaurin. peremptorie prorogat. Dat. in Wyssegrad VIII. die termini praenotati. A. D. 1358.

Idem Ludouicus Comiti et officialibus camerae suae Buden. Argenteae, ratione lucri camerae ordines elargitur. Dat. Visegrad. feria IIII. proxima post quindenas festi B. Georgii M. A. 1356.

Capitulum Zagrab. comitatum de Dubicha semper Templariis ac Cruciferis paruisse attestatur A. 1359.

Capitulum Scepus. de metis monasterii Jaszow per Cives regios occupatis regi Ludouico rescribit. Dat. V. die octavarum pentecostes Anno Dom. 1359.

Capitulum de Posega Legatum Prioris Cruciferorum, Baudoni, absque culpa captiuatum, attestatur. A. 1360.

Nicolaus Konth Palatinus particulam e terra Uduornicorum de Baráthy excisam possessoribus de Süthör iure perpetuo adiudicat. A. 1360.

Conuentus B. Joannis de Jaszow fundationem claustri S. Spiritus de Hrapko per Perényianos factam attestatur. 1361.

Stephanus Mr. Tauernicorum regalium civitatibus de Szolmonok ac Gölniczbánya ius dicit. Dat. Witsegrad in festo OO. SS. A. D. 1362.

Ladislai Episc. Veszprim. ratione decimarum occupatarum contradictio. A. 1362.

Idem Ludouicus coenobium de Marmaros pro Eremitis S. Pauli fundat. A. D. 1363.

Carolus IV. Imp. ac Ludouicus R. H. Bernabonem de Mediolano arma hostilia ponere, iubent. Dat. A. 1363.

Idem Ludovicus patentes suas, Puulo de Somos concessas, nouo et authentico sigillo suo priuilegialiter transumit ac firmat. Dat. per man. Nicolai A. Episcopi Strigo. Cancellarii A. D. 1364. III. kal. Juny, regni autem nostri anno XXII. Venerab. etc.

Idem Ludouicus priuilegiales suas Abbatiae B. M. V. de Scepus concessas appenso nouo Sigillo confirmat. Dat. vt supra, V, Idus April. A. D. 1364.

Claustrum Augustianorum S. Annae de Strigo, dotatur. A. 1364.

Idem Ludouicus inquisitorias suas de anno 1364. ac Ladislai Palatini, de incolarum Gámás libertate transcribit A. 1364.

Sententiales in causa decimali pro Episcopo Veszprim. A. D. 1365.

Abbatis de Zircz oppositionales ratione decimarum reddendarum. A. 1365.

Nicolaus Konth, Palatinus, possessiones Fádd et Halaszy, Ecclesiae S. regis Stephani de Alba Cruciferorum restituit. Datum in Wisegrad XXXVIII. die octauarum festi B. Georgy praedictarum A. D. 1366.

Eiusdem Palatini pro Baudono, Priore Cruciferorum de Alba prohibitoriae. Dat. octauo die Congregationis nostrae praedictae in loco memorato. A. D. 1366.

Capitulum Quinqueecclesiense de via antiqua destructa ac particula terrae per Capitulum Jauri. occupata, relationem praestat. A. D. 1366.

Comitatus Tolnensis memoriales ac prohibitorias super vsurpatione terrarum Fyr. et Archa edit.

Dat. VIII. die congre. nostrae in loco praedicto. A. 1366.

Mandata diuersa inquisitoria. A. D. 1366.

Vrbanus VI. PP. de iis, qui Stephano Zagrabiensi Episcopo capto in sententiam excommunicationis incidissent, absoluendis, prouidet. Dat. Auenn. XVI. kal. Dec. anno V. (1367).

Capitulum Ecclesiae Castriferrei literas Caroli R. H. anno 1326. priuilegium Stephani V. super vicesima decimarum Abbatiae de Borsmonostra donata transcribentis pro eodem monasterio transumit. A. D. 1367. Datum in festo B. Lucae Euang.

Capitulum Budense iussu regis Ludouici particulam terrae per Conuentum Lelesz recaptiuatam Paulo, filio Nicolai de Chicher, agnito errore, sponte remissam attestatur A. D. 1367.

Literarum Regis Ludouici, ius metalli concedentis, per Capitulum Scepus. quoad sensum transumtarum specimen A. 1364. 1368.

Coenobium S. Annae prope Hangon per Nobiles de eadem pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. 1368.

Idem Ludouicus Ecclesiae S. Adalberti de Strigonio possessiones annos triginta pacifice tentas, praescriptionis titulo in perpetuum habendi, etiam si monimenta earum producere nequeant, praerogatiuam largitur. Dat. p. man. Ladislai Veszprim. Epis. reginalis Cancellarii nostri A. D. 1369. VIII. Non. Nouem regni autem nostri XXX. Venerab. etc.

Ladislaus, Dux Opuliae regni Hungariae Palatinus, exhibitionem instrumentalem pro filiis Chabanka prorogat. Dat. Viseg. in octauo die termini praenotati. A. 1369.

Capitulum Budense de possessione Chon, Comitatus Chongrad, per Abbatiam S. Benedicti de

iuxta Gron civi Pestiensi marcis sedecim elocata, testatur. D. VI. feria proxima ante festum Natiuitatis B. Joannis B. A. 1369.

Capitulum Albense literas regis Ludouici ratione terrae Gyanth contra Emericum Wajuodam Trans. ac Stephanum Siculorum Comitem, transcribit. Dat. in octavis festi B. Regis Stephani A. 1369.

Capitulum Bachiense metas a Bela IV. erectas inter Ecclesiam Bosnensem, ec Magistros Trentel controuersas concorditer definitas esse, attestatur. Dat. Sabbatho proximo post festum corporis Christi, anno eiusdem 1369.

Transactio coram conuentu B. V. de Sàgh ratione facti potentiarii. A. 1369.

Idem Ladislaus Patatinus prorogatorias suas propter sigillorum suorum penes Jacobum de Scepus, Protonotarium suum absentem, existentiam sigillo Emerici Wajuodae Transilvani munit. Dat. in Visseg. octauo die termini praenotati A. D. 1370.

Ludouici regis de decimis ac nonis per Jobbagyones in Comitatu Simeghiensi pendendis districtum mandatum. 1370.

Capitulum Albense excessus Stephani de Halm Ladislao Palatino perscribit. Dat. tertio die diei inquisitionis praenotatae. A. D. 1370.

Conuentus S. Benediti de iuxta Gron, ac C. Nicolaus de Zeech, Judex Curiae Regiaé, de Martino, filio Andreae, ratione possessionis Leand citato, sed non comparente, testantur. A. D. 1370.

Idem conuentus ac Judex Curiae de inquisitione peracta, citationeque frustrata, refert. A. D. 1370

Capitulum Agriense priuilegiales super possessionibus Ztara et Pereche, iussu regis Ludouici in suo archivo requisitas, pariat. Dat. in vesperis

festi Nat. S. Joannis B. A. 1371. regnante eodem Domino nostro rege Ludouico, Thoma Strigon. etc.

Idem Ludouicus donationem a Sublectore Nitriensi factam confirmat A. 1372.

Ladislaus idem Palatinus in causa caducitatis, ratione portionis possessionariae in Dinyeberki, al. Agád vocatae, contra fiscum regium sententiam fert. Dat. in Wissegr. XVI. die octauarum festi B. Georgy Martyris A. D. 1372.

Idem Palatinus discussionem causae in fauorem Incattorum prorogat. A. D. 1372.

Prohibitionis, possessionem Spanfurt ad dominium Frakno (Franko) neutiquam pertinentem concernentis testimonium mixtum. Dat. in Chepreg, feria secunda proxima post festum B. Dorotheae V. A. D. 1373. Locus trium sigillorum.

Capitulum Chasmen. dotationem monasterii S. Michaelis Ar. de Chorna per Stephanum Episcopum Zagrab. factam perscribit. A. 1373. in Dominica Aduentus Domini.

Emericus Palatinus spectatis Stephani V. donationalibus, ac Ladislai III. confirmatoriis, particulam terrae Chesmagh (Thismagh) olim conditionariorum regalium, Monasterio B. V. de Saagh adiudicat. Dat. in Vissegr. XXII. die octauarum festi B. Jacobi Apostoli praedictarum. A. D. 1373.

Idem Palatinus causam Emerici, filii Thomae, ratione possessionis Diós contra Praeceptorem Albensem prorogat. Dat. vt supra VIII. die termini praenotati. A. D. 1374.

Wilhelmus Ep. Quinqueeccl. ac Comes Capellae regiae de portione Capituli Vacien. in possessione Int vocata, in feudum Mathiae de Besseny̋ő data testatur. A. 1374.

Capitulum Veszprim. de prato litigioso mensura regia mensurato refert. Dat: VI. feria proxima post octauas festi Paschae Domini, anno eiusdem 1374.

C. Jacobus de Scepus. Judex Curiae regiae contra portionis possessionariae Leand Archiepiscopo Strigoniensi alienationem protestationem iure contiguae vicinitatis interpositam, perhibet. A. 1374.

Idem Judex Curiae causam Diosianam, morte Palatini interueniente, ad futuri praesentiam prorogat. Dat. in Wissegr. VIII. die termini praenotati A. D. 1375.

Idem Comes prorogatorias alias pro Baudonio Praeceptore edit ac sigillo Magistri Tauernicorum firmat. Dat. vt supra A. 1375.

Idem Comes causam Palatinatu vacante ad praesentiam Palatinalem prorogat. Dat. vt supra A. 1375.

Idem Comes causam etiam contra A. Episc. Colocensem prorogat. Dat. vt supra A. 1375.

Capitulum Ecclesiae Albensis de prohibitione facta ad Ladislaum Palatinum, ac Ducem Opuliae, refert. Dat. II. die prohibitionis antedictae, Anno Domini 1376.

Ludouicus R. H. literas suas, queis bullam Innocentii IV. PP. donationales Belae IV. cruciferis de Alba datas confirmantem, transcripserat, in suo conseruatorio regali reinuentas, patenter rescribit. Dat. Wissegr. in Dominica. A. D. 1377.

Idem Ludouicus Ladislao de Fegyvernek ac Joanni de Mikola, vrgente necessitate terras haereditarias vendendi facultatem largitur. Dat. in Diosgeur in octauis festi B. Georgy M. M. A. 1377. Communicauit. Jos. Podhraszky.

Idem Ludouicus portum ac forum in possessione Indt. pro Praepositura S. Ladislai in Monte

Tullia publico edicto restaurat. Dat. in Wissegr. VI. Ascens. Domini anno eiusdem 1378.

Idem Ludouicus literis Capituli Quinqueecl. pro Ecclesia Albaregal. fassionales, anno 1344. emanatas transcribit ac confirmat. Dat. p. man. Demetrii Ep. Zagrab. Cancellary A. D. 1375. regni autem nostri anno XXXVII. Venerab. etc.

C. Jacobus de Scepus Judex Curiae, causam contra Joannem, filium Marcelli de Leös, mouendam prorogat. Dat. in Wissegr. VIII. die termini praenotati. A. 1378.

Emericus, Rector Ecclesiae B. Emerici Ducis in castro Albensi, Canonicus Ecclesiae Albensis. A. 1378.

Capitulum Ecclesiae Poson. Jacobum de Pokatelek iussu regis Ludouici in possessionibus nouae donationis titulo impetratis statuit. A. 1380.

Capitulum Castriferrei literas suas patentes clementi de Pogh anno 1375 concessas, priuilegialiter, alphabetoque intercisas, transcribit. Dat. feria IV. proxima post festum Epiphaniae D. 1370.

Capitulum Albense patentes Nicolai Konth, quondam Palatini, literas super particula terrae Baráthi anno 1360 emanatas, pro Fratre Joanne, Ordinis Jerosolymitani, transsumit, sigilloque memoriali confirmat. Dat. die dominico proximo post festum B. Jacobi Apostoli. A. D. 1386.

Fr. Petrus Praepositus Ecclesiae B. V. de Glogoncza, et Canonicus Domus S. Sepulchri Hierosoly. possessionem Planine, filiis Nioolai dicti Tonch de Zomszedvar, in feudum confert. Dat. in praedicta Glogoncza, in domo scilicet habitationis nostrae feria proxima ante festum B. Laurentii. A. 1380.

Coenobium de Villye, pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. D. 1380.

Nobiles Frank et Michael de Franklo, in Ecclesia B. V. de Monte alias Borsmonostra, donato molendino Locsmandiensi Altariam S. Crucis fundant. Datum in dicto Franklo, in festo OO. SS. Anno D. 1830:

Capitulum Vaciense, iussu Ludouici regis metas possessionis Keresztur et Püspöky pro Demetrio Cardinali et A. Episcopo Strigon. reambulat ac perscribit Anno D. 1381. Praesentibus. etc.

Capitulum Quinqueecl. de praedocinio, quod Michael Praeceptor Crucigerorum, dum in seruitiis regiis versaretur, est perpessus, regi Ludouico refert. Datum die Dominico proximo post praedictum festum B. Laurentii M. A. D. 1381.

Capitulum Poson. Seniores ac Juratos possessionis Ten, e compulsione terrestris dominii Monialium S. Clarae, decimas A. Episcopo denegantes, eaque propter interdicto et excommunicatione innodatos, ad satisfaciendum deinceps se obligasse, attestatur. Datum Dominico die proximo post festum B. Francisci conf. A. 1381.

Comitatus Tolnensis in causa Juris fori turbabati contra capitulum Albense, in possessione Fadd, inquirit. Dat. feria secunda proxima post octauas B. Michaelis A. D. 1381.

Processus decimalis inter Valentinum Episcopum Qunqueecl. ac Petrum Praepositum Demesiensem, qua ille ius illud coram Legato lucratus, appellatione facta, amisit, ac quaestione coram Sede Romana retractata, quia non comparuit, contumaciae, et expensarum fuerat condemnatus. Sub anno a Natiuit. Domini 1381. indictione X. die Veneris, XIX. Mensis Julii Pontificatus Vrbani VI. anno 17.

C. Paulus Judex Curiae, partes actoreas circa possessiones Fadd et Halasz ad instrumentá sua exhibenda inuiat. Datum in Wyssegrad octauo die termini praenotati. A. D. 1381. (videtur esse error reçcribendusque annus 1341.)

Nicolaus Gara Palatinus literas suas prorogatorias ob protonotarii sui absentiam huius sigillo munit. A. 1381.

Conuentus de Simigio Nobiles de Szakács, Cot. Simigh. metas territorii coenobii S. Dominici pro erêmitis S. Pauli ab antecessoribus suis fundati, reambulatas, distinctasque confirmasse, attestatur.

Ad tomi X-i volumen III. spectantia.

C. Nicolaus de Zeech Judex Curiae regiae Abbatiae montis Pannoniae iura contra Praepositum Ecclesiae S. Ladislai de ordine S. Augustini Superpelliciatorum reuidet secundum literas quondam Domini regis Ludouici, felicis recordationis. A. D. 1382.

2) Conuentus Hospitalariorum S. Stephani de Alba possessiones ordinis sui Ujudvar Kanisaianis 7000 florenis aureis, certis sub conditionibus obligasse, fatetur. Dat. in festo B. Michaelis Archangeli A. D. 1382.

Maria regina libertates, ac iura ciuibus de Dolna, alias Sylua, a Carolo Rege concessa, confirmat. A. 1383.

Eadem Regina Montanistas de Riuuilis Dominarum ac Felső Bánya ab vsu silvae nigrae regalis arceri vetat. Budae Sabbatho proximo ante festum B. Valentini Martyris A. Dni 1384.

Capitulum Budense de possessione quadam Leand, Comitatus Bars vendita fassionales edit. III. die festi B. Andreae Apostoli. A. 1384.

Coenobia Corporis Christi de Ungh per familiam Drugeth, ac B. M. V. et S. Elisabeth ad Albam Juliam, per Goblinum Episcopum Transilvan. item B. M. V. de Told, per. Nicolaum Zambo de Mezeolak, pro Eremitis S. Pauli fundantur. Anno Dni 1384.

Capitulum Castriferrei de dote ac paraphernalibus Nobilis Dominae Elisabeth, relictae Joannis de Franklo expeditis testimoniales largitur. Anno 1385.

Petrus ac Georgius Zudar de Olvod coenobium B. M. V. de Laad pro Eremitis S. Pauli fundant. Anno 1387.

C. Emericus Bubek, Judex Curiae Regiae, literas regis Ludovici super terra Boor An. 1378. editas pro Josepho Procuratore transumit. Dat. in Wissegrad. tricesimo secundo die Octavarum Festi S. Georgii M. praedictarum. A. D. 1388.

Adiudicatoriae eiusdem pro parte Nobilium de Kata possessionis huius ac pertinentiarum omnium, per Zarandinenses occupatarum. A. D. 1388.

Petrus, filius Stephani de Harka, se siluam suam Egered Ciuitati Sopron. donasse, coram capitulo Jaurinensi fatetur. A. D. 1388.

Sigismundus R. H. metas castri Kövár, in Comitatu Zolnok. mediocri, testimonio conuentus de Lelesz figit. Datum anno Domini 1390. XII. kal. mensis Augusti, regni autem nostri anno quarto."

Leonhardus de Pensauro, A. Episcopi Strigonien. Vicarius, querelam contra Parochos in Archidiaconatu Poson. exstantes motam, compositam

suo firmat assensu. Dat. Strigonii tertia die festi B. Georgii M. Anno Dominicae Incarnationis 1390. Idictione XIII. die vero decima tertia mensis May, Pontificatus Sanctissimi in X. P. et D. Bonifacii IX. Papae, primo.

Capitulum Castriferrei transumtum Literarum regis Geysae II. anno 1137 emanatum, iussu regio in sua Sacristia requisitum, in paribus expedit. Anno 1390.

Idem Capitulum de diuisione proportionali possessionis Franklo, al. Saarad, inter Frankloianos peracta attestatur. Datum 1390.

Idem Sigismundus Gallo de Zeech virtutis merito donationes impertitur. Datum Budae in festo B. Thomae Apostoli. A. D. 1391.

Idem Sigismundus de possessione Karád cum pertinentiis in Comitatu Simegh. Claustro Carthusiensium S. Michaëlis Ar. de Leveld, in permutationem possessionum Barbach etc. Sine contradictione statuta, testimoniales edit. A. 1391.

Protestatio Andreae, dicti Gyöpös, de Kis Herestény ratione metarum coram V. Comite, ac Judlium Comitatus Bars. interposita. A. 1391.

Joannes A. Episcopus Strigonien. decimas ab Episcopo Veszprim. in censum accipit. A. 1392.

Concordia inter filiam Joannis de Homonna, ac Thomam filium Kazmery de Tarnocz super facto metarum possessionum Tarnocz et Straskhaza, in Comitatu Ungh existentium. A. 1393.

Capitulum Budense super medietate possessionis Leand, per filios Thomae de Bela, filiis sororis suae venditae fassionales elargitur. A. 1394.

Capitulum Castriferrei literas Caroli regis, literas capituli Jauri. de anno 1330. super possessionibus Abbatiae de Monte rescribentes, transu-

mit. Dat. in festo Luciae V. A. Dni 1394. Honorabili viro etc.

Idem Sigismundus literas Andreae regis de anno 1231. et suas, patentes regis Ludovici continentes, in causa foliatr, ac vini decimalis, pro Episcopo Veszprim. priuilegialiter transcribit ac roborat. Dat. per man. RR. Joannis A. Episcopi Strigon. A. D. 1395. VI. kal. mensis Decembris, regni autem nostri Anno IX. Venerabilibus etc.

Ciues de Bihács, in Croatia, de damnis Nobilibus de Klocoche illatis per Castellanos de Zokol satisfactum fuisse, attestatur. Scripta in Sede nostra Judiciaria fer. III. proxima A.Fest. B. Mathiae Apostoli Anno Domini MCCCLXXXXV.

Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron protestatorias pro Gyepessianis contra Forgácsios de Ghymes edit. A. 1396.

Idem Sigismundus iura ciuium Cremniczensium confirmat. A. 1396.

Idem Sigismundus, terras Abbatiae de Borsmonostra reambulari ac relinqui iubet. Dat. in Vissegrad' in vigilia festi B. Martini Conf. Anno Dni 1397.

Idem Sigismundus possessionem Hollós, Cot. Castriferrei, a Petro Chech in puerili aetate famulis suis donatam, confirmat. Dat. Strigonii feria quinta proxima post Festum B. Joannis ante portam Latinam. A. D. 1397.

C. Frank, Lodomeriae Bani filius, Curiae regiae Judex, literas Ludovici regis Abbati Monasterii B. V. de Chanad. An. 1380. concessas, transcribit. Dat. in Vissegrad. VI. die termini praenotati. Anno D. 1397.

Petri, Bani Machoviensis, de Peren, filius Si-

monis de eadem, ac Sororius M. Nicolai Toth de Zomzedvara. A. 1397.

Capitulum Jauri. Super dote ac quarta puellari persolutis expeditorias largitur. A. 1398.

Terrae controversae, iuramento ac testimonio quinque Jobagyonum limitatae, documentum Anno 1398.

Testimoniales conuentus S. Benedicti de iuxta Gron super fassione Nicolai, filii Lucae de Kis Mánya, pro Andrea Györös de Kis Herestény A. D. 1398.

Capitulum Budense de possessione Tótfalu inter ciuitatem Riuuli Dominarum, ac medium montem (Nagy Bánya) per Ladislaum, filium Stephani Germanni, vendita fassionales, per manus Nicolai Zekel, Lectoris feria secunda proxima ante festum Inventionis S. Crucis. A. 1398.

Detricus Bubek Palatinus Statutorias pro Besenyianis edit. A. 1398.

Idem Sigismundus nouae dotationi Praepositurae S. Michaëlis Ar. de Chorna per Kanisaianos donata villa Baráthy factae, plenum impertitur assensum. Dat. per manus Joannis de dicta Kanisa Strigonien. A. Episcopi, Summi cancellarii. A. D. 1399. VIII. kal. mensis Augusti, regni autem nostri anno tredecimo.

Idem Sigismundus usum siluae nigrae Montanistis de Gölnicz Bánya, non obstante Monasterii de Jászov contradictione, addicit. Datum Cassoviae in Dominica Ramis Palmarum, A. 1399.

Detricus Bubek Palatinus memoriales ac prorogatorias pro Capitulo Albensi contra Fratrem Emericum Priorem Auranae edit. Dat. Wissegrad XXXV. die termini praenotati A. Dni 1399.

Idem Palatinus de Jobbagyonum Pokatelekiorum a telonio soluendo immunitate, testimoniales

largitur. Dat. XVI. die congregationis nostrae praedictae, in loco memorato, Anno Dni 1399.

Joannes Praepositus de Jaszov Statutionem possessionis Radván rite peractam rescribit. Priuilegialibus alphabeto intercisis. Dat. XVI. die mensis diei introductionis ac statutionis antedictae. A. 1399.

Capitulum Poson. familiae Gatha pratum ac piscinam statuit. A. 1399.

Capitulum Jauri. Praepositum ac Conventum Praemonstrat. de Chorna in possessione obtenta Baráthy, iussu regio, absque contradictione statuit. Vno pari ad regestrum Comunitatis conscripto ad cautelam Juris vberiorem. Dat. XVI. die diei introductionis ac statutionis praedictarum Anno D. 1400. Honorabilibus viris etc.

Detricus Bubek Palatinus causantibus literis regis Ludovici in transumto haud contentis, sed originalium productionem requirentibus, Abbatem eo, quod originalium per adversarios insidiose ablationem iuramento comprobauerit, expeditum reddit. A. D. 1400.

Idem Detricus quaestionem de nobilitate successorum Germanni, ac fratrum, a conditione Castrensium in numerum Jobagyonum S. Regis Stephani translationem decidit. Dat. in Wissegrad. quadragesimo die octauarum diei mediae quadragesimae. A. 1400.

Idem Detricus Joannem, filium Ladislai de Gar, ob actus potentiales capite ac bonorum iactura solenni judicio mulctat. Dat. in Wissegrad XXX. die octaui diei quindenarum festi beati Andreae Apostoli praed. A. 1400.

Capitulum Weszprim. de protestatione per Crucigeros de Alba contra occupationem possessionis Themel, Cot. Alben facta, testatur. Dat. VI. die festi B. Georgii M. A. 1400.

Coenobium de Zilagy per filios Dionysii Bani de Losoncz pro Eremitis S. Pauli fundatur. A. 1400.

Franciscus Zobonya de Födemes, Comes Dioecesis Bars, de portione Michaëlis dicti Gyöpös de Kis Heresteny iussu regio occupata, Andreae dicto Gyöpös remissa in Manya, testimoniales edit. A. 1400.

Filii Nicolai Fancsi de Bordana missam apud Eremitas S. Pauli de Bakova fundant. A. 1400.

Literae censuales pro maiori Pest super locatione terrarum arabilium ad Abbatem de Kana pertinentium per Episcopum Veszprim. datae. A. 1400.

Capitulum Weszprim. de Capitulo Albensi ab vsufruitione possessionis Dios inhibito ad regem Sigismundum rescribit. Dat. quinto die diei inquisitioni praenotatae. A. D. 1400.

Idem Capitulum etiam Battyanianos, in Cot. Albensi inhibet. Dat. VI. die festi B. Georgii M. Anno D. 1400.

Capitulum Albense de actibus potentiariis Jacobi de Halm Regi Sigismundo rescribit. Dat. V. die inquisitionis praenotatae. Anno D. 1400.

Juris Patronatus Ecclesiae Specimen. Scripta in Ilsva in die Sanctae Agnetis V. nostro sub sigillo. Anno Demini 1401.

Funestorum regni euentuum ab A. 1397 — 1401. documentum.

Bosniae ad coronam Regni Hungariae spectantis, ac Comitatus Walko, parte magna per Hungaros inhabitati, nouum documentum.

Clemens III. PP. Tribuno A. Episcopo Ragusino protectionem suam, ac iurisdictionem per regna Cachuliniae, Serbuliae, quod est Bosna et regnum Tribuniae vrbesque Cattaren. Antiuaren. Scodrien. Diuasteriensem etc. impertitur A. 1188. 21. Jun. Latterani.

Andreas, Dux Jaderae, totius Dalmatiae, Chroatiae, libertates Ecclesiae SS. Cosmae ac Damiani in Dalmatiae confiniariis insulis confirmat. 31. Martii 1198.

Bela IV. R. H. literas patris Sui Andreae, vrbi Nonensi A. 1205 conassas, communit Anno gratiae Mo Ducentesimo, quadragesimo quarto VII. kal. Septemb. regni autem sui anno septimo.

Albertus ac Leopoldus Austriae, Styriae ac Carinthiae Duces mediante Ludouico R. H. cum Andrea Contareno Duce, ac republica Veneta, Generali item Vicario Paduano, Francisco de Carraria armistitium paciscuntur. A. 1376. VII. Martii Bellunae.

**Menda grauiora emendanda.**

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 10. | l. | 33. | l. | Pannoniam Sauiam. |
| — | 14. | l. | y. | l. | Anonymus. |
| — | 81. | l. | 19. | l. | mentionem. |
| — | 93. | l. | 12. | l. | Andreani. |
| — | 126. | l. | 28. | l. | commixta. |

# Croatiae ac Slavoniae

cum

Regno Hungariae

Nexus ac Relationes.

§. 1.

Croatae, vulgo Horvathi, Slavina gens, e regionibus, quae ultra Bagibariam (Bagiegore, Alpes Carpaticas) patent, avitis sedibus relictis, Dalmatiam ab Avaribus desolatam, Heraclii, Imperatoris Constantinopolitani, dono obsederant. Quaedam ipsorum pars, secessione subin facta, Illyrici veteris partes, Liburniam, Iapidiamque, ac Pannoniam Saviam, a montibus Albiis inter Dravum et Savum amnes exporrectam, a Slavisve cultam, invaserunt: teste Constantino in purpura genito de administratione Imperii C. 30—31. — Dalmatiâ vetustum nomen retinente, Liburnia cum Japidiae parte in Croatiam, Pannonia Savia in Slavoniam transiit.

Clar. Bartholomaeus Kopitar, Augustissimo Austriae Imperatori a Bibliothecae Palatinae Custodia, in Glagolitano Cloziano A. 1836 Vindobonae in fol. edito, Slavorum in Pannonia inferiore originem a Sarmatis Li-

migantibus, Dominis per Servos expulsis, quos Constantinus Magnus 300,000 cis Danubium exceperat, ac per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, Italiamque diviserat, repetit: „Scito, inquit, Sarmatarum vocabulum idem valere quod Serborum, antiquissimum Slavicae gentis nomen. Quam Italiam dicit, Carniolia fuit, Italiae tunc pars. Horum posteros iure credas Slavos Carentanos, sicut Bulgaros illorum, qui per Scythiam, Thraciam, Macedoniam fuere divisi.“ fol. LXXVI.

Ast Constantinus Sauromatas ad Moeotidem habitantes, captos divisit per urbes (Zozymus L. II. C. 21.) Sarmatas vero cognomento Jazyges, apud apud Strabonem Lib. VIII. tam Liberos quam Servos, Constantinus ac Constantius, Constantini M. filii, in suas cis Istrum sedes dimiserunt repetitim: Ammian. Marcell. L. XVII. Cap. XIII. p. 471. XIX. Cap. p. 481. Slavorum proin in Pannonia Savia originem Cl. Auctor non explicat. Similius vero est: Sedes Amentinorum in Pannonia Savia Vinido-Slavos, penes Neuros habitantes, cum Alanis per Hunnos horsum tractos, obsedisse (Ammian. Marcell. LXXXI. C. IV.)Hi fuerint, qui an. 449. Salonam Dalmatiae vrbem astu bellico occupasse a Constantino Porphyro genito de adm. Imp. C. 35. p. 95. perhibentur. Provinciam quaqua patebat Sirmiensem Sec. V. VI. Gepidas tenuisse, testimonio Procopii constat: „Gepidae insuper Sirmium urbem et Dalmatiae aliasque civitates, maiorem in partem praeoccupantes tenebant“ De bello Gothico Lib. I. Item. „Gepides, Imperator, Sirmium habent, Romanos in servitutem abducunt, et vniuersam Dalmatiam sui se iuris fecisse, iactant.“ In Orat. Longob. ad Imperatorem.

§. 2 Dalmatiam Croaticam idem Constantinus taliter describit: „Orae maritimae oppida, quae etiam nunc (an. 949. — 50) tenent sunt: Rausium (Ragusium) Aspalatum (Spalatum) Tetranarrium (Tragurium) Diadna, Arba, Bella, Opsara, et Clissa“ Cap. 29. Croatiam Liburnicam non nihil amplius: „A Zentina (Cettina) fluvio Crobatia incipit, extenditurque versus mare

ad Istriae usque confinia, sive Albunum urbem, versus montana aliquatenus etiam supra Istriae thema excurrit, ac versus Trentina et Clebona Serbliae (Serviae) regionem attingit. — Divisa est eorum regio in Zupanias (Comitatus) XI. quorum nomina: Clebiana (Hliuno) Tzensena (Cettina) Emota (Imota) Pleba (Pliune) Pesenta (Pisinum) Parathalissia (Maritima) Brebera (Brebir) Nona (nunc Novi) Tnena (Tinniniensis) Sidraga (Scardonen) Nina. Ipsorumque Banus (Confinii Praefectus) tenet Chribassam (Corbaviam) Litzam (Licam) et Gutzekam (Gotse, Kochtse) Cap. 30. Urbes habitatae: Nona (Novi) Belogradum (Belgradum Alba maris) *Zara* vechia (Belitzin) Belina (in Bucoviza) Scardona (Scardin) Chlebena, Stolpum (Stulba prope Bistriczam ad flumen Hliceni, Tenen, Tinnium (Knin) Cori (Corinium Karin) et Klobathe Klopuche, Klapace prope fontes Tinnae) denique Tersatica et Fanum S. Viti (Flumen) quo a ducatu Foro Iuliensi separabatur." Ibid. Cf Anonymum Reginonis ad An. 799. — A fluviis Unnae ac Hliuni usque Dravum reliquum Sclavoniae Croaticae fuit accensum. V. Balthas. Kerchelich Not. praelim. Croatiae ac Slavoniae p. 68. etc.

§. 3. Croatae Dalmatini primitus Imperii Constantinopolitani clientelares, quum hoc per Imperantium ignaviam atque socordiam, maxime Michaëlis Amoriensis Balbi tantum non expirasset, sui iuris facti, neque cuiquam alteri subiecti, suismet Principibus paruerant; ast a Saracenis mari terraque arctati Basilii Imperatoris Constantinopolitani praesidio se repetitim dediderunt. Pacemq colentes, hanc eiusdem Basilii consilio a Croatis annuò tributo sunt mercati. Idem Constantinus Porphyr. l.c. C. 29. Cf. Scilitzem ac Cedrenum de Basilio Imp.

§. 4. **Croatae, qui Liburniam occupaverant**, suummet non minus Principem habuerunt Imperio Orientis clientelarem. Post aliquos annos Francis subiiciebantur, quemadmodum antea, dum in ipsorum terra degerent. Crudelitatis Praefectorum impatientes, aegre tandem post annorum septem bellum liberi, suisque iuris facti. Charentanorum societate aucti Dalmatinis tributum imperarunt. Const. Porqhyr l. c. c. 31. — Sub Carolo M. Francorum iugum denuo subierunt: „Carolus per bella utramque Pannoniam et oppositam in altera Danubii ripa Daciam (usque Tibiscum) Istriam quoque ac Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis Urbibus, quas ob amicitiam et iunctum cum eo foedus Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit, ita perdomuit, ut eos tributarios efficeret." Eginhard in vita Caroli M. Cap. XVI. Chronic Alberti Stud. p. 184. 194. Annalista Met. ad an. 883. Annales Pythaeani ad an. 811. Cf. Porphir. l. c. C. 30. — Per Marchiones seu Duces Foroiulienses administrati, ast an. 822 quo modo? qua causa? ignotum, excusso iterum Francorum dominio, Imperii Orientalis clientelae se devoverant; huius quoque habenas excusserunt an. 841. sub Michaele Balbo: „Dalmatiae item conterminae gentes Croatae, Servii, excussis Imperii habenis, liberi suisque, non alienis, legibus usi; ast simul ac rerum potitus est Basilius Macedo (an. 880) sponte sub Romanorum redierunt imperium" Constantinus Porphir. l. c. C. 29. In vita Basilii p. 178. Constantini Continuator. p. 92. Cedren. T. III. p. 576.

Croatae Liburnii Gregorio PP. M. circa an. 604 Slavorum nomine venerant: Scribit enim sua ad Episcopos Istriae Epistola: „De Slavorum gente, quae vobis im-

minet, et affligor vehementer et turbor: affligor in his, quae in vobis iam patior; conturbor, quia per Istriae aditum in Italiam intrare coeperunt." Exhibebant hi, ditionibus aucti, circa A. 640. Imperatori Constantinopolitano equitum 60,000, peditum 100,000, et sagenas 80, conduras 100. Et sagenae quidem quadragenos viros habebant." Teste eodem Const. Proyhyr l. c. Ast An. 788 una cum Slavoniis in dominium Caroli M. Francorum regis cesserunt. Teste Eginhardo; cui Diplomata apud Joannem Lucium consonant.

§. 5. Croatae Slavonii non absimiliter proprios habebant duces, qui ad Crobatiae Principem amicitiae ergo tantum legationem mittebat; inquit Prophyrogenitus l. c. C. 31. Subin Carolo Francorum regi cum sociis suis Crobatis dediti an. 788. In exterminandis Avaribus auxiliati. Mox duces ipsorum Comitibus, a Carolo M. constitutis, paruerant: „Tunc, inquit Anonymus de conversione Charentanorum, primus ab Imperatore constitutus est confinii Comes Guteramus, secundus Werinharius, tertius Albricus, quartus Gotefridus, quintus Geroldus. Interim vero, dum praedicti Comites orientalem procurabant plagam, aliqui Duces habitaverant in illis partibus, ad iam dictam sedem pertinentibus, qui Comitibus praefatis subditi fuerunt ad servitium Imperatoris, quorum nomina fuerunt: Pritcizlavga, Cemicas, Ztoimar, et Gar. Post istos vero Duces Bavari coeperunt praedictam terram, dato Regum, habere in comitatum, nomine: Helmovinus, Albgarius, et Pabo. His ita peractis Ratbodus suscepit defensionem termini." Edit. Kopitar p. LXXIX.

§. 6. Haec ad incolas Pannoniae Saviae ultra Dravi ostium neutiquam pertinebant; sane „Carolus M. iurisdictionem Salisburgensis Archiepiscopi ulterius haud extendit. „Pipinus ex Avaria reversus, partem Pannoniae citra lacum Pe-

lissa inferioris (Balaton) ultra fluvium, qui dicitur Hraba, et sic usque ad Dravum fluvium, et eousque ubi Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, praenominavit cum doctrina et ecclesiatico officio procurare populum, qui remansit de Hunnis (Avaribus) et Slavis in illis partibus, Arnoni Iuvauensium Episcopo, usque ad praesentiam genitoris sui Karoli Imparatoris. Postmodum ergo Anno DCCCIII Karolus Imperator Bavariam infestavit, et in mense Octobris Salspurc venit, et praefatam concessionem filii sui iterans, potestative multis adstantibus fidelium affirmavit, et in aevum inconvulsum fieri concessit.“ Idem Anonymus p. LXXXVII.

§. 7. Permanserant hi, inter Danubium et Savum, in Bulgarorum potestate usque an. 818. Anno hoc, scribit Eginhardus: „Erant ibi et aliarum nationum reguli: Bonnae ducis Guduscanorum et Timosionorum, qui nuper a Bulgarorum societate desciverant, et ad fines nostros se contulerant“ Hos segreges Bulgari an. 825. missis literis, a. 826. legatis, a Ludovico Imperante repetierant; tractâ mora offensi, non orientalem duntaxat Saviae Pannoniae partem recuperaverant, sed occidentalem quoque subegerunt sub Crummo Principe, eodem Eginhardo teste: „anno 828 percepto Ludovicus imperator Bulgarorum facto, Baldericum ducem Foro-Iuliensem, cum propter ipsius ignaviam Bulgari fines Pannoniae superioris impune vastassent, honoribus privavit, et Marcham inter quatuor Comites divisit.“ Legitur quidem in Annalibus Fuldensibus ad an. 828. Ludovicus iuvenis contra Bulgaros ab Imperatore Ludovico submissus, ast e Scriptorum silentio, quid cum Bulgaris gesserit? latet. Pannoniam Saviam

integram recuperasse, concludi nequit: praesertim cum in Annalibus Fuldensibus scriptum sit: „Anno 829. Bulgari nauibus per Dravum fluvium venientes, quasdam villas nostrorum flumini vicinas incenderunt“ Argui tamen potest: quia Ludovicus Baduaburnae in Saxonia a. 845 Sclavorum quoque ac Bulgarorum legationes suscepit, audivit et absolvit; Slavoniâ Croatica usque Dravi ostium Francorum imperio, orientali Bulgaris, remanente, pacem compositam fuisse. Bellum quidem a. 833 a Bulgaris et Slavis illatum fuit: ast provinciae ab alterutra parte obtentae nulla mentio. De hinc belli aut legationis missae inter Francos et Bulgaros, usque Arnulphi Imperatoris tempora, nulla memoria. Idem contestatur vetustissimus ac coaevus Geographus: „Nun wollen wir Europa beschreiben, so weit wir es können: — Ostwärts von Kärnten jenseits der Wüste (des durch Niederlagen der Abaren unter Karl dem Grossen zur Wüste gewordenen Ungarns) ist Purgara-land, (Bulgarien) und Ostwärts von diesem ist Griechenland; Ostwärts von Mähren ist Wistland (Polen) und noch unter Ostwärts Datien (das alte Datien)“ — Angelsächsische Geographie des K. Alfreds vom Jahre 900 Forster Geschichte der Entdeckungen und Schiffahrten im Norden.

§. 8. Arnulfi Imperatoris Germaniae tempore Slavoniam Croaticam Branslavum, Vratislaum, vulgo Braslavonem dictum, administrasse, certum. Fuit is Privinnae nepos, Chezilonis filius, aliquandiu Sventibaldo, Marahanensium Slavorum regi, adhaerens, mox Arnulfi fidus armorum socius, ac Pannoniae sub Hungarorum adventu Procurator ab eodem constitutus: „In cuius temporis spatio quidam Priwina, inquit anonymus, conversionis Charentanorum auctor coaevus, exulatus

a Moimaro duce Moravorum supra Danubium, venit ad Ratpodum, qui statim illum praesentavit Domino nostro regi Hludovico, et suo iussu, fide instructus, baptisatus est — qui et postea Ratbodo commissus aliquod cum illo tempus fuit. Interim exorta est inter illos aliqua dissensio, quam Privina timens fugam iniit in regionem Wulgariam cum suis, et Chozil filius eius cum eo. Et non multo post de Wulgariis Ratimari adiit regionem. Illoque tempore misit Hludovicus rex Bavariorum, Ratboldum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum ducem, qui diffidens defendi posse, in fugam conversus est, et cum suis, qui caedem evaserunt, et praedictus Privinus substitit, et cum suis pertransivit fluvium Sava, ibique susceptus est a Salachone Comite, ac pacificatus est cum Ratbodo. Aliqua vero interim occasione percepta, rogantibus praedicti regis fidelibus, praestitit rex Privinae aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem circa fluvium, qui dicitur Sala. Tunc et coepit ibi ille habitare, et munimentum aedificare in quodam nemore et palude Salae fluminis et circumquaque congregare populos, ac multum ampliare in terra illa, ac ecclesias construere. Pervenit ad notitiam Ludovici piissimi regis, quod Privina piissimus fuit ac benevolus erga Dei servitium et suum; fidelibus suis quibusdam saepius ammonnentibus concessit illi in proprium totum, quod prius habuit in beneficium. Anno Domini DCCCXLVIII. A. autem DCCCLXV. venerabilis Archiepiscopus Juvavensium Adalvinus nativitatem Christi celebravit in Castro Hezilonis, noviter Moschburch vocato, quod illi successit moriente Patre suo Privino, quem Moravi occiderunt." Edit. Kopitar p. LXXIV — V: Sed anno 873 legitur

in Annal. Franc. apud Hansicz T. II. p. 159. „Sveptobaldus Moravus Pannoniam occupavit, in eius etiam partes accessit Bratislaus, Hezilonis Pannoniae inferioris Ducis, filius.“ Tum narratis contra Carolum Crassum motibus, ac defectione, atque Arnulfi electione, huiusque in ecclesiam Juvaviensem propensione: „Pannonia, inquit, inferior cum duce Bratislao, (quem Fuldenses Brazlavonem appellant) an. 885 ad officium rediit.“ Annalista vero Fuldensis dicit: „Anno 884. Imperator (Carolus Calvus) per Bavariam in orientem proficiscitur --- veniens Zvendibaldus Dux cum principibus suis contestatus illi fidelitatem iuramento, et ipse, dum Carolus vixisset, nunquam in regnum suum hostili exercitu esset venturus. Postea veniente Brasclavo duce, qui id temporis regnum inter Drava et Sava flumina tenuit.“ Idem Fuldensis: „an. 892. Sed ille (Zvendibaldus) more solito ad regem Arnulfum venire renuit, foedera et omnia promissa mentitus est. Inde rex irato animo cum Braslavone duce colloquium habuit, ubi inter alia quaerens tempus et locum, quomodo possit terram Moraviorum intrare; consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis regnum illud invaderet.“ Tum an. 892. „Arnulfus contra Zvendibaldum Hunnos (Hungaros) et Bulgaros movet. Missos etiam suos inde ad Bulgaros, et regem eorum Laudomir, ad renovandam pacem pristinam cum muneribus mense Septembri transmisit. Missi autem propter insidias Zvendibaldi ducis terrestre iter non valentes habere, de regno Braslavonis per fluvium Odgora (Odra) usque ad Culpam (Colapim) perfluentes, Savi fluminis navigio in Bulgariam perducti, ibi a rege honorifice suscepti eadem via, qua venerant, cum muneribus re-

versi sunt 895. Imperator Pannoniam cum Urbe Paludarum tuendam Braslavoni Duci suo in id tempus commendavit." — Belli exitum notavit Sigebertus: A. 893 Arnulfus rex Zvendibaldo Moravorum ac Bohemorum regi materiam contra se rebellandi dedit; ad quem debellandum cum non sufficeret, gentem Hungarorum Deo inimicam regno immisit, eorumque auxilio Zvendebaldum devicit, et tributarium fecit." Const. Porphyri C. 41. „Moraviae Princeps Svendoplocus fortis, terribilisque populis finitimis fuit. Post Svendoploci autem mortem (an. 894.) anno uno in pace exacto, orto dissidio et bello civili, invadentes Turci (Hungaros intelligit) planissime eos extirparunt terramque retinuerunt, quam etiam nunc (an. 949) incolunt, quaeque superat multitudo dissipata confugit ad finitimos Bulgaros, Turcos, Chrobatos, et reliquas gentes." Luitprandus coaevus: „Primo mortis Arnulfi, natique eius (Ludovici infantis) anno (900) Hungari magno collecto exercitu Moravorum gentem sibi vendicant, Boioariorum etiam fines occupant, castra diruunt, ecclesias consummunt." L. II. c. 1.

Slavorum Bulgaricorum fortunas ita recenset Cl. Kopitar l. c. „Slavi Bulgarici quotannis praedas egerant usque ipsam civitatem Constantinopolitanam; ipsos A. 507 Anastasius Imperator muro longo circumdato coërcere, Iustinianus vero annuis stipendiis pacare, studuit. Aquilonem versus in Dacia certe et ultra Tibiscum dominabantur; teste Pesthini oppidi perdurante in hodiernum diem ex idiomate Bulgariae dialecti vocabulo." — Avarum mox subditi, tum aemuli, a palude Maeotide, per Daciam, Pannoniam, Savlam, Moesiam, et ultra dominati A. 634—687. Avarum sortem An. 796. effugerant: Carolo M. ad Tibiscum usque nonnisi arma proferente. A. 828. de limitibus Pannoniae cum Francis disceptarunt. An. 888. et 894. a Leone sapiente Graecorum imperante auxilio Hungarorum ite-

ratis bellis victi. A. 907. Horum tributarii effecti: Annales Fuldenses ad an. 896: „Bulgari cum omni festinatione recurrunt, consertoque illico praelio victi sunt (ab Hungaris); iterum pari tenore recuperare intendentes; secundo caruere victoria." — Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad 907. „Hungari victos Bulgaros tributarios sibi faciunt."

§. 9. Adiunctis rerum locorum, ac temporum exhibitis, ad quaestionis momentum delapsi sumus. Occasionem Dalmatiae ac Croatiae occupandae Salanus, Graecorum ac Bulgarorum Dux clientelaris, obtulerat, „qui a Hungaris victus, fuga lapsus, pro salute vitae Albam Bulgariae properavit. Tunc Dux Arpad et sui primates inito consilio constituerunt, quod exercitum mitterent propter Salanum Ducem ultra Danubium contra Albam Bulgariae. Super quem exercitum constituti sunt principes et ductores Lelus filius Tosu, Bulsun filius Bogat, Botont filius Culpun; qui accepta licentia a Duce Arpad acceptantes transnavigaverunt Danubium nullo contradicente, et in illo loco, ubi fluvius Zoua descendit in Danubium. Et inde egressi contra Albam Bulgariae ad civitatem equitare coeperunt. Tunc Dux Bulgarorum, consangvineus Salani Ducis, cum magno exercitu contra eos pugnaturus cum adiutorio Graecorum accessit. Altera autem die coordinatae sunt utraeque acies in campo iuxta ripam Danubii. Statim Lelu filius Tosu elevato vexillo sui regni, et Bulsun, filius Bogat, tubas bellicas sonando pugnaturi accesserunt, et commixtae sunt manus utriusque hostis et coeperunt inter se pugnam acriter, et interfecti sunt de Graecis et Bulgaris plurimi, et quidam capti sunt ex ipsis. Videns ergo dux Bulgariae illos deficere in bello, fuga lapsus pro defensione vitae Albam civitatem ingressus est. Tunc Lelu, Bulsun, nec non Botond

accepta victoria, castra metati sunt iuxta Danubium parum inferius in campo, et omnes captivos Bulgarorum et Graecorum ante se duci fecerunt, quos ferro ligatos Duci Arpad remiserunt in Hungariam. Secunda autem die Dux Bulgariae misit nuncios suos cum diversis donis ad Lelu, et Bulsun, atque Botond, et deprecans eos, ut paci faveant, et insuper mandavit, quod pactum Salani ducis, avunculi sui, non faveret, sed Arpadio Duci Hungariae, subiugatus fideliter serviret, et annuale vectigal persolveret. Illi vero paci faventes, proprium filium Ducis in pignus accipientes, cum multis bonis rebus Bulgariae discesserunt, et ducem eorum illaesum dimiserunt. Deinde egressi ad usque Vaczil (vacislo, angustiae montis Rhodope) iverunt, et ex hinc egressi terram Raczy (Rasciam partem Serviae) subiugaverunt et Ducem eius captum diu ferro ligatum tenuerunt. Hinc vero egressi usque ad mare pervenerunt, et omnes nationes illius patriae dominio Arpad Ducis Hungarorum potenter et pacifice subiugaverant et civitatem Spaletensem (Spalatum) ceperunt et totam Croatiam sibi subiugaverant, et inde egressi filios nobilium obsides acceperunt, et in Hungariam reversi sunt.“ Anonym. Belae R. Not. de gestis Ducum Hungariae c. XXXIX. XLI. XLII.

Consonat his ipsum Chronicon Ecclesiae Zagrabiensis a Iosepho Koller Hist Eccl. Quinqueecclesiensis Tomo VII. appen. II. editum his verbis: „Relatio Hungarorum in scriptis ab olim redacta, inter cetera, complura habet: quod anno ab Incarnatione Domini octingentesimo, sive octo centeno, et octogesimo nono de Scythia (Ugoria) oceano in Septentrione coniuncta, magna multitudo fines - - - intraverat et potenter occupaverat totam Pannoniam iure He (reditario) possidendam, in qua gente plures fuere duces, sed finaliter —— fuit principalis forsan ab aliis pro-

pter suam nobilitatem et ---qui nominatus est, videlicet nominabatur Almus, huic in Du (catu successit) eius filius, qui vocabatur Arpad."

§. 10. Sclavoniam vero Croaticam, Bulgaricam et Carnioliae partem occupatas, idem author hisce refert: „Bulsun, Lelu, Botond hinc egressi, silvam quae dicitur Peturgor, descendentes iuxta fluvium Culpae, castra metati sunt, et transito fluvio illo usque ad fluvium Zoua pervenerunt, et transito Zoua castrum Zagrab, Posaga (Posega) et castrum Vlcou (Valco) ceperunt. Et hinc egressi Danubium in portu Graecorum transnavigantes in curiam ducis Arpad pervenerunt." Idem Cap. XLIII: „Dux vero Arpad et sui nobiles constituerunt, ut ultra Danubium irent, et terram Pannoniae subiugarent et contra Carinthinos bellum promoverent. —Egressi usque ad Rabam et Rabuceam (Rapczam) venerunt; Sclavorum et Pannoniorum gentes et regna vastaverunt, et eorum regiones occupaverunt, sed et Carinthinorum Moroanensium (Muranensium) fines crebris incursionibus diripuerunt, regiones eorum possederunt et usque hodiernam diem, adiuvante Domino, potenter et pacifice eorum posteritas detinet." —„Cum audisset Menumaroth Ducem Arpadum et suos milites Romanos de Pannonia fugasse, Carinthinorum Moroanensium fines devastasse, regnumquē Pannoniorum occupasse." CXLII. XLIV. L. LI.

Meram dixit RR. Kerchelich veritatem, professus Not. 1. ad p. 98. „Sclavonia, quod sub Bulgarorum fuerit potestate ex superioribus liquet; partitam fuisse p. 76. et sequentibus retulimus. Illa, quae orientalior, nostro Anonymo teste Rhenanum Ducem habuit, post hunc Ratinarum III. ut a Latinis exprimeretur: ac Salanum, qui tempore irruptionis Hungarorum eidem

praefuit. Hanc permansisse sub clientela Bulgarorum descripta superius ex Anonymo evincunt; praecipue dum destructo Ducatu suo ipse fugit ad Bulgaros, ut cap. 39. Anonymus Ducatum Salani regno Hungariae coniunxisse Arpadem, ac postea Zultam, caret dubio: non solum ex Anonymo, constitutisque regni limitibus, sed quod Slavoniae huius nulla sit in titulis regum Hungariae usque Seculum XV. mentio."

§. 11. Zulta, Arpadi anno 907. mortui filius, per duces suos, cum exercitu Carinthino, inde Foro-Julii, Marchia Lombardiae, civitate Padua direptis, hinc Francis orientalibus, confinio Bavariae ac Franconiae, ac Lotheringiis, Alemannis etc. vastatis; circa an. 911. fixit metas regni Hungariae: ex parte Graeciae usque ad portam Waczil, et usque ad terram Raczi. Ab occidente usque ad mare, ubi est Spaletina civitas; et ex parte Theotonicorum usque ad pontem Gunczil (supra Anasum) ex parte vero Bohemorum fixit metas usque ad fluvium Morva (Morava) sub tali conditione, ut dux eorum annua tributa persolveret Duci Hungarorum; et eodem modo ex parte Polonorum usque ad montem Tatur (Tatra). Et dum dux Zulta et sui milites ita radicati essent accepto nobilium suorum iuramento filium suum Tocsun fecit Ducem et Dominatorem supra totum regnum suum. — Tocsun vero Dux cum omnibus primatibus Hungariae potenter et pacifice per omnes dies vitae suae obtinuit omnia iura regni sui." Cap. LII. LIII. LIV. LVII.

§. 12. Iidem propemodum perstiterant Hungariae limites Constantini Porphyrogenetae, temporibus quoque (anno 949—50) „Turci, ait, a Paczinacitis pulsi et profugientes sedes posuerunt illic, ubi nunc habitant. In hoc autem loco antiqua quaedam monumenta supersunt; inter quae

pons Traiani Imperatoris ad initia Turciae, et Belgrada, quae trium dierum itinere ab ipso ponte distat, ubi turris est Sancti et Magni Constantini Imperatoris; et rursus ad cursum fluminis extat Sirmium, quod Belgrada abest duorum dierum itinere. Inde magna Moravia baptismo carens, quam Turcae devastarunt, cuius quidem Princeps olim Sphentoplocus. Atque haec quidem iuxta Istrum flumen monumenta sunt et cognomina. Ulteriora vero, quae omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrrentibus. Eorum primum Timeses (Temes) est, alterum Tutes (Aluta) tertium Moreses (Maros), quartum Crisus (Körös), quintum Ticza (Tibiscus). Confines autem Turcis sunt orientem versus Bulgari, ubi eos Ister fluvius, qui et Danubius dicitur, separat; Septemtrionem versus Pacinacitae (in Moldavia), ad occidentem Franci; ad m e r i d i e m C r o b a t i.— A Thessalonica usque ad Danubium flumen, in qua Urbs Belgrada, octo dierum iter est, si quis non festinanter, sed interquiescens proficiscatur. E t h a b i t a n t q u i d e m t r a n s D a n u b i u m f l u m e n T u r c a e i n t e r r a M o r a v i a e a t q u e e t i a m u l t r a i n t r a D a n u b i u m e t S a b a m f l u v i o s.' Cap. 38. 40. 42.

§. 13. Limitibus his, spectata praecipue Belae regis Notarii fide dignitate, Croatarum doctissimus Balthasar Kerchelich l. c. p. 90. sequentibus subscripsit: „Utinam plures essent nobis eiusmodi Anonymi! Utilibus unice studuit, veritatem pro scopo habuit, non tacet Bulsu et Lelu suspensos aliaque tanta. Is est fundamentum tot municipalium legum nostrarum intelligendarum; ipse initii Hungariae regni formataeque rationis Reipublicae nostrae, totque aliarum utilium et publicarum, sive

publici iuris rerum providus collector. Profecto videmus hinc regni nostri plenam libertatem, firmarique illud legum, quod virtute sua propria regnum effecerint, nec ab ullo acceperint. — Anonymus noster nativitatem Regni Hungariae, illiusque, destructis anterioribus ducatibus, extensionem eo modo, quo et Roma crevit olim, et regna cetera, describit, constitutam sub Arpad rempublicam, et sub Zulta firmatam, huiusque Magistratus Togae pro administranda iustitia, et Sagi, pro reipublicae defensione. Describit constitutos sub Zulta regni limites, nec Orientis, nec Occidentis scriptoribus adversantibus."

§. 14. In sententiam Anonymi ierant doctissimi Historiographi nostri Stephanus Katona, ac Iosephus Koller, viri reverendissimi; professus illam est nuper Illustrissimus author Franciscus Madarassy quoque, dissertatione altera: De primitivis regni Ungariae limitibus, sive de partibus eiusdem regni integrantibus in haec verba: „Ungaria, seculo decimo, praeter Transilvaniam et partem Valachiae cisalutanae, omnem regionem intra iuga montis Carpati, Poloniae obiecta, Savumque et Danubium interiectam, Pannoniam item superiorem usque Anasum fluvium, et inferius usque Dravum protensam ambitu suo complectebatur." p. 21. Sententia haec, moderata utut admodum, unius e Croatis animum offendit; — „non poterat a se impetrare, quia iam alias contraria sensa pro ingenito veritatis amore manifestasset; nequaquam cor ipsius nudo vocis sono conquievit; ultro propellebat amor patriae. Et ideo discusso mox negotio, re cum amicis collata, sensa sua dissertatione scripta cum motivis et fundamentis ad plenam pro posse evidentiam proponere animum adiecit"

p. 3—4. — Sed ad Slavoniae ac Croatiae cum regno Hungariae nexum lustrandum progrediamur.

§. 15. Dalmatiam et Croatiam rebus Hungarorum integris, cum inter continuas viciniorum provinciarum depopulationes parsum iis sit, regno Hungariae obnoxias temporibus Arpadi et Zoltani, perseverasse, rite arguit laudatus Kerchelichius, l. c. firmatque id; quod Croatiae ac Dalmatiae Reges in suis titulis ab Imperatoribus, seu orientis sive occidentis, compellandis diutius abstinuerint.— Ast armorum eorundem fortuna inclinante, Dalmatas ac Croatas ab Hungarorum clientela descivisse, testari videtur Constantinus in purpura genitus, dum confinia Hungariae describens c. 42. ait: „Confines autem Turcis (Magyaris) sunt ad occidentem Franci, ad meridiem Crobati.“ Si dixeris haec de Saeculi X-i medio, sive an. 950. quo scripserat, esse accipienda. Certum est Dalmatiam et Croatiam, eodem Seculo labente, imperio orientis adhaesisse: nam Dalmatae Imperatorum axioma denuo resumserant professi: „Incarnatio Domini A. CMLXXXVI. Ind. XIV. die fere XIV. mensis Decembris Imperatoribus, Dominis piissimis et perpetuis Augustis, Basilio et Constantino a Deo coronat. Magnis Imp. apud civitatem Jadrae.“ V. Cod. Dipl. T. VIII. vol. IV. p. 26. Principes Dalmatiae ac Croatiae ab Imperatoribus Constantinopolitanis regia obtinuisse insignia, ac patriciatus exarchatusque honorem, testatur Thomas Archidiaconus in Historia Salonitana Cap. XVII. Dircislaus autem axiomate hoc usus est: „In Christi nomine. Amen. Anno nativitatis eiusdem D. N. J. Ch. M. Indictione XIII. regnantibus DD. NN. Basilio et Constantino Magnis Imperatoribus, in regno Croatiae gubernante Domino Dircislao in-

clito rege." — Codex Diplomaticus cit. Tomo VII. pag. 57.

§. 16. Sclavoniam Croaticam Hungariae unitam diutius perstitisse, verba Porphyrogeniti videntur insinuare dicentis: „Confines autem Turcis ad meridiem sunt Crobati." l. c. ita ut Sclavonii tempore eiusdem inter Hungaros et Croatas fuerint medii. Hos etiam ab Hungaris subin avulsos ac Francis tributarios effectos fuisse, e verbis continuatoris Reginonis colligimus, qui de Henrico Aucupe ait: „Eodem anno Slavos, qui Uncrani vocantur, hostiliter invasit, et vicit, sibique tributarios fecit." Hoc quidem Schönleben ad an. 934. collocavit; ast quocunque anno sit factum, sicut Uncrani Slavi explicari nequeunt, nisi vel ab Ungaris, quibus paruerant, vel ab Unna fluvio: ita brevis haec memoria indicare videtur, Sclavoniam Francis conterminam ab Hungaria fuisse avulsam. Haec fuit causa, quod Protorex Stephanus in eadem nec Episcopatum constituerit, nec ullius Episcopatus limitem extenderit. Quando? et quomodo? in Croatiae societatem adscita fuerit, est oppido incertum; cum neo-erecti Croatensium Episcopatus, Tinniniensis, ambitus Dravum usque fuerit, teste Thoma Archidiacono C. XV, extensus, Croatiae unitam fuisse hanc Sclavoniam, admittendum est.

§. 17. Slavoniam Bulgaricam sub Hungarorum permansisse dominio, multa probant: Belae Regis Notarius ait l. c. C. LVI: „Tunc Botond longo labore belli fatigatus, miro modo infirmari coepit, ex luce migravit, et sepultus est prope fluvium Vereucca (Verőcze).) Sed istud notum sit omnibus scire volentibus, quod milites Hungarorum haec et alia huiusmodi usque

ad tempora Tucsum ducis gesserant." Contestatur Porphyrogenita quoque l. c.: „Et habitant quidem Turci (Hungari) etiam ulterius infra Danubium et Sabam fluvios." Evidentissimo autem argumento sunt limites Episcopatuum per Protoregem in Sclavoniam Bulgaricam extensi: Privilegio quippe Episcopatui Quinque Ecclesiensi anno 1009. concesso ait: „Episcopatûs, qui vocabitur Quinqueecclesiensis, terminos ordinavimus et confirmavimus: —quartum, ut dicitur Kwarok, sicut incipiens a Danubio supra Zavum fluvium terminatur." Cod. Dipl. T. I. p. 202. Eadem verba repetiit S. Ladislaus an. 1093. literis, quibus orientales Dioeceseos Quinqueecclesiensis limites reformaverat „termini sint, inquit, aquae ductus, qui Kwarok dicitur." Ibidem p. 181. Dioeceseos Bacsiensis limites in provinciam Sirmiensem patuisse, tum ex eo, quod Episcopus illius in partes orientales Episcopatus Quinqueecclesiensis, a S. Stephano definitos, irrepserit, loco praecitato; tum etiam inde, quod ex illa sit episcopatus Sirmiensis A. 1229. sub Vgrino excisus, liquidum est.

§. 18. Ast subin Croatas, uti in Sclavoniam Croaticam, ita etiam in hanc Bulgaricam, irrepsisse, haud inficiamur; Provinciâ certe Sirmiensi ab an. 1010. Sermo quidam e Croatis potitus, et anno 1019 a Graecorum Duce exutus, perhibetur: „Subacta Bulgaria imperatori (Basilio) se dédidit etiam contermina Chrobatorum gens, et eius principes fratres duo, quibus Imperator honores ac opes amplas tribuit. Solus adhuc Imperium detrectabat Sermo, Sirmii Dominus, Nestongi frater. Ad hunc Constantinus Diogenes finitimae provinciae Praefectus legatum mittit interposito iuramento affirmans, cupere se ipsum convenire, ac

de rebus necessariis colloqui. Quodsi ipse insidias vereretur subesse, tribus tantum famulis stipatum se ad ripam profluentis ibi amnis accesserum; idem ipse quoque faceret. Obtemperat Sermo, atque hoc modo cum Diogene congreditur. Ibi cum iam collocuti essent, Diogenes pugionem, quem in sinu abditum gestabat, subito in latus Sermonis adigit; eumque interficit. Famuli fuga elabuntur. Diogenes vicinis exercitibus contractis valida cum manu ad Sirmium proficiscitur, viduaeque exterritae magnis insuper promissionibus persvadet, ut se, Sirmiumque Imperatori traderet. Ea Byzantium missa, ibi primario cuidam civium matrimonio copulata est; Diogenes recens captae ditioni praefectus." Ita Cedrenus T. II. p. 317. Zonoras T. III. p. 227. Scilices, fol. 94. edit. Ven.

„Cum dicimus Occidentalem Pannoniae Sauiae partem atque regionem eam, quae ab urbe Sirmiensi usque ad confluxum Savi et Danubii protenditur, extra Hungarorum hoc tempore fuisse ditionem, non inde consequens est, totum illum terrae tractum, qui Danubio, Dravo, Savoque clauditur, a iure Hungariae fuisse avulsum: Habemus enim indubitatum S. Stephani Diploma, quo is terminos Episcopatus Quinqueecclesiensis ultra meridionalem Dravi ripam in Pannonia Interamnensi statuit, id utique non facturus, si ditionis suae limes Dravus fluvius fuisset. Id quod cum fide Byzantinorum Scriptorum hac ratione conciliamus: Cinnamus auctor Graecus, qui eo tempore Historiam suam conscripsit, quo tempore in Sirmiensi regione Graecos inter et Hungaros bellum fuit, quique ipse, ut in sua prodit Historia, Sirmii egit, meminit cuiusdam loci in regione Sirmiensi positi, quem Petricum vocat, ibique, ait, esse terminum Hungariae. Locus ille haud dubie Petri Varadinum est. — Est vero Petri Varadinum duorum fere dierum itinere a Dravo ac eodem prope intervallo a confluxu Danubii et Savi remotum, atque ad Danubium in monte constructum. Quod si igitur hic limes fuit Hungariae, uti Cinnamus

tradit, iam manifestum est, Graecos Sirmiensi regione potitos, nequaquam usque Dravum imperium suum protulisse, sed oram illam Pannoniae interamnensis, quae a Dravo vsque Petri Varadinum excurrit, iuris fuisse Hungarici." Salagi de Statu Ecclesiae Pannoniae Lib. I. Cap. V. §. II.

§. 19. Civilibus a morte Protoregis motibus in Hungaria strepentibus, iacturae huius recuperandae diu occasio defuit. Sed Andreas, teste Joanne Archidiacono de Guerche (apud Kerchelich Not. Prae. p. 102.) Stabilito sibi regno de recuperandis regni iuribus sollicitus, Adalbertum fratrem fecit Ducem Slavoniae, Radus autem Palatinum regni. Isti regem Croatiae coartarunt, et Slavoniam ad veteres limites Zettinae fluenti reduxerunt. Dicunt Belae memorias servari in Belica (Belovár) aliisque locis." Haec evincit Rado Palatini testamentaria dispositio quoque, inter monumenta Ecclesiae Quinqueecclesiensis servata, an. Incarnationis Dominicae MLVI. secundo nonas Junii, Indictione X per regem Andream regni sui an. XII Albae regiae in Congregatione regni confirmata; ubi exponitur: „Quomodo ego Rado Palatinus, licentia piissimi Regis Andreae, eiusque fratris Adalberti, invictissimi Ducis, partem possessionis meae S. Petro Quinqueecclesiensi ordinavi et Maurum eiusdem loci Episcopum Spiritualem in patrem adoptavi, sperans (recenset legata); ecclesiam autem, quam supra Dravum fluvium in honorem S. Michaëlis Archangeli aedificavi, et hanc S. Petro, ac praefato Episcopo Mauro commendavi, ut inde semper in promtu plebanum habuisset; Rogavi etiam gratiam Dominorum meorum gloriosissimi Andreae regis et optimi Ducis Adalberti, ego Rado Palatinus vt monasterium meum S. Demetrii supra Savum fluvium, quod multis

bellicosis laboribus cum tota provincia illa sanctae coronae rectificavi, et iterum acquisivi, quia illud monasterium est in Parochia S. Petri Quinqueecclesiensis, sicut in spiritualibus, ita etiam temporale dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod prioratum (patronatum) vocant, dedi etiam S. Petro Quinqueecclesiensi et Patri nostro Mauro, ubi etiam sepulturam volo — curam ipsius monasterii semper ipse episcopus, vel post eum, qui fuerit, habeat, et curam omnium possessionum Ecclesiae seu monasterii ipsius quidquid ubique per regnum gloriosissimorum Dominorum nostrorum ipsum monasterium possidet, episcopus Quinqueecclesiensis teneat.“ Cod. Dipl. T. I. p. 394. — Ast utramque Slavoniam mox ad veteres terrae Dominos devolutam, docet cum Diploma nro I. tum earum recuperationis Historia.

§. 20. Mansit Sirmium in potestate Graecorum annum usque 1081: „Postquam Caesar (Joannes Ducas, frater Imperatoris Constantini Ducae) inclitam vitam in monasticam professionem mutavit. Imperator Michaël curis innumerabilibus conflictabatur. — Slavorum gente iugum romanae dominationis excutiente, et Bulgariam rapinis atque incendiis agente, ferenteque; Scupi quoque et Naissus vastabantur, quin ipsum Sirmium et quae circa Sagiam (Savam) amnem sunt oppida, quaeque ad Istrum iacent civitates, graviter laborabant“ ait Bryennius p. 68. 70. Tum „Hungarorum gens saepe Romanorum fines incursavit; et paulo ante, quam imperaret Alexius Comnenus, Sirmium cepit, et multis transistranis urbibus expugnatis Naessum usque pervenit.“ *Zonaras* lib. V. nro XII.

§. 21. Slavoniam Croaticam regi Croatiae paruisse usque an. MXC. non minus certum: „Cum Demetrium Zuinimirum Belae I. regis generum, in scriptura archivi Monialium SS. Cosmae et Damiani, Ducem, mox regem Slavoniorum An. 1070—5. appellari compertum sit; atque eundem Stephano, Cresimiri Petri Patruele, ob aegritudinem, regimen abdicante, coronam, et investituram regni Dalmatiae ac Croatiae, in Synodo, a summi Pontificis legato solenniter suscepisse, an. 1076. constet.“ Ita Lucius L. II. c. 10. p. m. 85. Legitur in donatione Sminae, Laurentio A. Episcopo Spalatensi facta an. 1083. „Ego Demetrius, qui et Suinimir, Dei gratia et apostolicae Sedis dono Croatorum atque Dalmatinorum rex.“ Anno eodem: „Ego Suinimirus. Dei gratia rex Croatorum atque Dalmatarum (territorium Radunae Monachis S. Stephani donat) His actis et constitutis testes interfuerunt primum regina Lepa et Radovanus, filius regis.“ Item: „In nomine Christi. Ego Stephanus, olim illustris Dux Croatorum, cum gravi morbo oppressus, convocari iussissem venerabiles Sacerdotes regni Croatiae (monasterium S. Stephani P. M. duobus praediis dotat) Haec acta sunt coram Suinimiro rege ac domino meo, Lepa (al. Helena) regina, Radovano regis filio, Petro presbytero Cardinale, et Romanae Ecclesiae Legato, Laurentio A. Episcopo etc.“ V. Cod. Dipl. T. I. p. 400. 406. 407. 440. 444.

§. 22. Slavoniam Croaticam, ac Croatiae regnum sacrae Hungariae coronae S. Ladislaum revindicasse, una est testium universorum sententia: Factum Chronicon Thuroczii sequentibus perhibet: „Ladislaus Rex, victor honoratus, inclytus augustus, exstitit non tam nominum pro-

prictate, quam rerum veritate: adauxit enim rempublicam Hungariae; ipse primus Dalmatiam (Slavoniam) et Croatiam suae Monarchiae iure perpetuo subiugavit. Cum enim rex Zolomerus (Zuinimirus) sine liberis decessisset, uxor eius, soror regis Ladislai, ab inimicis viri sui multis iniuriis praegravata, auxilium fratris sui Regis Ladislai in nomine Jesu Christi imploravit; cuius iniurias rex graviter vindicavit, et Croatiam atque Dalmatiam integraliter sibi restituit, quam postea praedicta regina suo subdidit dominio, quod tamen rex non fecit propter cupiditatem, sed quia secundum regalem iustitiam sibi competebat haereditas." Cap. LVI. Consentit Thomas Archidiaconus Historiae Salonitanae Cap. XVII: „Rex Suinimirus mortis debitum solvens, nullum suae posteritatis haeredem reliquit; sic ergo, tota regalis sangvinis prosapia deficiente, non fuit ulterius, qui in regno Croatorum rite succedere debuisset. Coepit itaque inter omnes regni proceres magna discordia suboriri --- Verum his temporibus exstitit quidam ex magnatibus Slavoniae, qui cum a suis esset contribulibus multis lacessitus iniuriis, multisque damnis attritus; non sperans se aliter posse tantis resistere malis, in Hungariam profectus est. Tunc ad regem Ladislaum ingressus eum alloqui coepit, persvadens ei, ut ad capiendum Croatiae regnum et suo dominio subiugandum exiret, dans ei plenam fiduciam; id facile posse compleri, cum regnum illud vacuum, et sine tutela regalis providentiae remansisset. His ergo Ladislaus inductus consiliis, absque mora coadunato exercitu copioso venit et occupavit totam terram a Dravo fluvio usque ad Alpes, quae dicuntur ferreae nullo obice resistente. Post haec

transivit Alpes, et coepit impugnare munitiones et castra, multaque proelia committere cum gentibus Croatiae; sed cum alter alteri non ferret auxilium, divisi ab invicem, facilem victoriam rex potuit obtinere. Nec tamen usque ad maritimas regiones (Dalmatiae) pervenit; sed audiens, quod quaedam gens (Chunorum) sui regni fines intraverant, in Ungariam repedavit." — Obtinuit tamen Croatiam usque Belgradum ad mare, uti ex historia Gaufridi Abbatis apud Lucium L. II. c. 1. liquet. Contigit id an. 1091. teste antiquissimo monumento apud eundem Lucium l. c. quod sic sonat: „Anno Incarnationis Jesu Christi D. N. MXCI. Alexio Constantinopoleos imperante, Wladislaus Pannoniorum rex croatiae invasit regnum."

Ipsum Chronicon Zagrabiense inter Slavoniam unam et alteram discrimen innuit, dum ait: „Ante omnia autem est nota dignum, quod Ecclesiae Zagrabiensis Cathedralis fundator est Rex Hungarorum Sanctus Ladislaus. — Tempore eius regiminis notabilius in aliqua parte Slavoniae, et in aliqua totaliter coepit vigere nomen Christi." l. c.

§. 22. Ladislao regnante, qui de Slavoniis, constituto Zagrabiae Episcopatu, optime fuerat meritus, cum illatarum regno iniuriarum nulla sint vestigia, Croatae pacem coluerant. Ast sub nepote ipsius Colomanno, Petrus Slavizo, olim Croatiae regis frater, regnum quaerens, turbas ciebat; Colomannus ipso victo, non Croatiam solum sed et Dalmatiam subegit; eodem Thoma A. Diacono testante: „Ladislao rege migrante ad Dominum, Colomannus sibi in regno successit. Hic, cum esset vir ferocis animi, proposuit totam terram usque ad mare Dalmaticum suo Dominio subiugare; venit ergo cum multo armorum apparatu, et obtinuit

ceteram partem Slavoniae, quae a Ladislao fuerat praetermissa. Itaque ad mare usque pervenit, vt civitates maritimas occuparet. Tunc ad Spalatensem civitatem primo accessit, petens pacifice, vt sua sponte dominio eius se subiicerent, nec ante permitterent destruere se et sua. Spalatenses non acquieverunt primum regi, mox pulsati, facto inter se consilio, miserunt Crescentium A. episcopum ad regem Colomannum pacem postulantes ab eo; quem ille benigne suscipiens, annuit omnibus petitionibus, quas Spalatenses fecerant pro pacis codice componendo. Facta igitur e beneplacito regis stabilitorum confirmatione, postera die iuraverunt Spalatenses, primo quidem maiores, dein minores, postea vulgus omne, ut Colomanno regi et eius posteris, ac regno Hungariae subiecti et fideles omni tempore permanerent. Inde autem pertransiens venit Tragurium, et deinde Jaderam, a quibus civitatibus simile exemplo susceptus, fecit eis libertatis privilegium, et sic in Hungariam est regressus, anno Domini millesimo centesimo tertio.“ Cap. XVII. Consentit Thuroczii Chronicon C. LXII: „Iste, qui a Hungaris Könyves Kálmán appellatur, Dalmatiae regnum, occiso suo rege Petro nominato in montibus Petergozdia, Hungariae adiunxit.“ Item Cap. LX. „Cumque rex esset in Dalmatia in civitate Zadur (Jadrae).“ — Confirmant privilegia a Colomanno concessa: „Anno Incarnationis D. N. J. Ch. MCII. Ego Colomannus Dei gratia rex Ungariae, Croatiae, atque Dalmatiae, salvo habito consilio, postquam coronatus fui Belgradi super mare in urbe regia.“ Item: In nomine D. N. J. Ch. anno ab incarnatione eius MCIII. die XV. Junii Colomannus Dei gratia Dalmatiae Croatiae, Ramaeque rex“

Primum civitati Jadrensi, alterum Crescentio Archi Episcopo Spalatensi, concesserat. V. Cod. Dipl. annis signatis. Eundem Colomannum marturinas Slavoniis contribuendas imposuisse, ex Andreae II. art. 27. certum est.

Colomannus R. H. Ecclesias et Episcopos Dalmatiae Croatiae ac Slavoniae iisdem, queis in Hungaria fruiti sunt iuribus ac reditibus, gaudere voluit, dum privilegio Arbensi Ecclesiae An. MCXI. Indictione IV. concesso, cum utriusque vniverso consilio tribuit, ut qua libertate fruuntur Clerici Hungariae, fruantur et Clerici Dalmatiae, scilicet qualiscunque potentiae sigillo non constringantur, sed solo Episcoporum et Archi-Diaconorum suorum sigillo, lege Canonum cogantur et iudicentur; hoc modo etiam decimationem, quemadmodum in Hungaria accipiant etc. Apud Lucium. — Neque ambigendum, eundem regem secularium quoque proprietati et immunitatibus sub pari exercituandi munere praesidium impendisse, cuius exemplo Bela III. Emericus, Andreas II. Bela IV. etc. Hungariae reges, Croatis. Dalmatis, ac Slavoniis sub exercituandi obligatione donationes contulerint aut confirmaverint. „Vix invenias donationem, inquit Kerchelichius, quampiam Belae IV regis, in qua a collatis, donatisque bonis n u m e r u s c e r t u s militum expressus non esset, regi exhibitorum. — Hoc quidem Bela IV non inchoavit. Bela III. anno 1193 Comiti Bartholomaeo de Weglia Emericus Comiti Stephano de Goricza etc. certam obligationem praescripsit.“ l. c. V. Diplomata nro III. IV. V.

§. 24. Terrae hae, a S. Ladislao ac Colomanno revindicatae, commune nomen S c l a v o n i a e tulerunt: „Colomannus proposuit t e r r a m t o t a m a D r a v o usque ad mare Adriaticum suo dominio subiugare. Venit ergo cum multo apparatu et obtinuit ceteram partem S l a v o n i a e, quae a Ladislao fuerat praetermissa; itaque ad mare usque pervenit, et civitates maritimas occupavit.“ Item: „Exstitit quidam ex magnatibus S l a v o n i a e, qui Ladislaum ad regnum Croatiae occu-

pandum excivit" Thomas A. D. C. XVII. — Omnis a Dravo fluvio usque Dalmatiam terra, Croatiae nomine fuerat ex adverso destincta: Idem Thomas A. D. „Invitatus Ladislaus rex ad capiendum Croatiae regnum usque mare, coadunato exercitu copioso venit et occupavit totam terram a Dravo fluvio usque ad Alpes. — Post haec transivit Alpes et bellavit cum gentibus Croatiae." Item: Anno MXCI. Wladislaus Pannoniorum rex Croatiae invasit regnum." l. c. Nulla ergo primitus in diplomatibus Slavoniae in specie, sed tantum Dalmatiae et Croatiae, aut totius Slavoniae mentio; ideo Dalmatia Slavoniae pars: V. Dipl. nro XI.

§. 25. Croatiae S. Ladislaus regem dederat Almum, suum ex Geyza fratre nepotem: „Kyri Alexio Constantinapoleos Imperatore, tempore, quo Wladislaus Pannoniorum rex Croatiae invadens regnum, Dominum Almum suum nepotem in illo statuit regem." Monumento praelaudato. Exemplo illius succesores quoque regni Hungariae reges, iam filios suos, ut Bela III. Emericum et Andream; Bela IV. Stephanum et Belam; iam fratres, ut Geyza II. Ladislaum et Stephanum, Bela IV. Colomannum; iam affines, ut Bela II. Belam Urosium, Bela IV. Rodislaum; iam cognatos, ut Bela IV. Calo Ioannem; iam etiam matres, ut Ladislaus III. Elisabetham, Andreas III. Catharinam Maurocenam, eidem praefecerant. — Sub, vel ab his vero, more Croatorum vetusto, Bani praesederant. A quibus eaedem partes iam regni, iam ducatus, iam banatus nomen retulerant primitus cum amplioribus vel angustioribus terminis. „Quare S. Ladislai successores in suis monumentis iam regnum, iam ducatum, iam Slavoniae tan-

tum Banatum exprimebant" affirmat RR. Kerchelichius Not. Prael. p. 128. V. Dipl. n. 2.

§. 26. Bani hi primum quidem terris universis, mox etiam singulis, Croatiae ac Dalmatiae, quin et partibus maritimis, proprii ad tempus sunt attributi; iam Bani simpliciter, iam Croatiae vel Dalmatiae, vel Maritimi compellati. Banorum ambitionis summa hinc facta est totius Sclavoniae Banatus, vel etiam Ducatus. Primi simpliciter Bani innotuerant: Belus an. 1148—1157. Arpa, al. Appa 1158. Boricius A. 1163. Ampudius, al. Ompud, 1167. Ambrosius A. 1171. — Occurrunt iam post hos: Calanus Episcopus Quinqueecclesiensis totam Dalmatiam et Croatiam nobiliter gubernans. A. 1191 — 3. Stephanus, al. Chepanus Dux, Banus totius Slavoniae et Comes Segniae. A. 1205. Bertholdus totius Sclavoniae Banus, una Archiepiscopus Colocensis A. 1209—10. Dionysius Banus, una Dux A. 1245—1251. Henricus Banus totius Sclavoniae A. 1270. etc. Bani maritimi leguntur: Vonic. A. 1225. Butleco. A. 1259. etc. Erant hi Banatus, pro regum Hungariae arbitrio, temporales; Andreas III. fuit unicus, qui Comitibus de Berbirio Banatum maritimum cessit haereditarium, malo suo maximo.

§. 27. Banorum iurisdictio Palatinorum in Hungaria ac Vajvodarum in Transylvania potestatem aequabat, atque in iure dicendo, exercitu ductando, moribus item ac consvetudinibus regni conservandis, atque, in absentia regis, conventui generali praesidendi potestate, continebatur ordinaria; V. Dipl. nro IX. Certe Calanus Banus de decimis episcopatui Zagrabiensi obvenientibus ius dixit A. 1181. — Stephanus duas villas Carthusiae in Seitz, ter-

ram vero Graboscela Jacobo de Gordioziow, terras vero a Comitibus Caccetis usurpatas Traguriensibus, terram Noach Templariis, adiudicavit. Exercitum contra Styrios duxit. Chak Banus possessiones nobilium de Bucsa per Castrenses occupatas revindicavit, metisque circumscripsit etc. Mathaeus Banus celebrata A. 1270. Chrysii congregatione, regnum Croatiae ac Slavoniae ordine iudiciario providit. V. Dipl. nro. VIII. Pro hac ingotiorum amplitudine Banis additi sunt Vicari: Primus Vicebanus occcurit Almericus A. 1220. Nemel, una Comes Zagrabien, Anno 1230. etc. V. Cod. Dipl.

§. 28. Banorum Dalmatiae ac Croatiae, qui e principibus regiis fuerant, potestas ad nonnullos etiam Hungariae Comitatus extensa, propriisque Baronibus insignis, supremum usque dominium regium excesserat: Andreas certe, Belae III filius, A. 1190. in confirmatoriis partim, partim a se concessis Ecclesiae Quinqueecclesiensi privilegiis, sequenti usus fuit titulo: Andreas Dei gratia Hungariae ac Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae Rex.“ In donatione An. 1194. Comiti Ierindoni de Veglia terrarum infra ducatum Slavoniae Vinidol, et Modrus, aeque scripserat: Andreas Dei gratia Hung. Dalm. Croatiae, Ramae, Serviae rex in perpetuum. Cum fidelitas -- dignum ducimus regiae munificentiae manus copiosius aperire.“ A. 1198. qua Dux Dalmatiae Croatiae Chulmaeque, item Banus, Farensem Episcopatum contulerat; item MCC. terram Grabonicza Dominico Zagrabiensi episcopo sub titulo: Andreas Dux Dalmatiae, Croatiae, et Chulmae, adiudicaverat; anno eodem die XV. Octob. idem Andreas Dux per Jacobum Prae-

positum, Magistrum, Cancellarium suum praesente Nicolao Bano Slavoniae, Barano Decano Zagrabiensi, terram quamdam per defectum cuiusdam Jerola ad se devolutam pro fidelibus servitiis donavit. A. MCCI. qua Dux Dalmatiae, Croatiae, ac Chulmae ad petitionem fratris sui Emerici Dominico Zagrabiensi Episcopo insulam Kognis donaverat etc. Non absimiliter Bela Andreae II. R. filius, Sclavoniae regno potestate poene regia praefuit, documentorum complurium testimonio: donata terra Klokoche filiis Jobbagyionum regis cum libertatum privilegio, per manus Mathiae Praepositi Zagrabiensis, anno ab incarnatione Domini MCCXX. quarto, IX Kalendas Ianuar; usus titulo: Bela Dei gratia rex primogenitus regis Hungariae etc. Testes Comes Bodrug, Allader Magister, Martinus Banus, Bachia Comes Zagrab. Andreas Magist. etc. Indigenae: Guncellinus Archiepiscopus Spalat. Martinus Episcopus Corb. Michus Episcopus Tininiensis, Herbertus Abbas Topplicae, Boncellaus Comes Goricae etc. A. MCCXXV. Idem Bela rex Turopolenses, eorumque iuxta lineam cognationis descendentes, ab obligatione servitutis castri Zagrab. exemit, ac libertatibus inferioris Officii de honesta societate Servientium regis asseruit, nobilitatemque in totam successionis eorum posteritatem transfudit, etc.——Excessus hos Andreas quidem sub patre BelaIII. Banatus iactura — Calano eidem substituto — sub fratre vero Emerico R. H. post graves discordias, captivitate in castro Kneene; Bela vero secessione in Austriam, luerunt. Colomannus Belae regis secundogenitus ex Galliciae et Lodomeriae rege Dux Dalmatiae ac Croatiae factus, potestate usus est moderatiore; ast tamen perampla: Titulo ac iure

praefuit sequenti: Colomannus Dei gratia rex Ruthenorum, et Dux totius Sclavoniae, Omnibus, etc. Terram Konszka vocatam iure perpetuo familiae Dragan et Dragach filio donat. A. 1232. testibus Jula Bano, Jula Magistro Tavern. Demetrio Dapiferor. Nicolao Comite Zala, Opoi Comite Simegh. Petro Comite de Wlkou, Georgio Comite de Barana." — Donationis motivum profert: Nobis fidelem fructum cum effusione sangvinis eo tempore, quum frater noster Dux Andreas, a quibusdam vesano inductus consilio, in regnum nostrum, videlicet Sclavoniam, violenter irruisset" etc.

§. 29. Bani Dalmatiae ac Croatiae regiorum Principum aemulatione, —articulo etiam Andreae II. B. A. 30. ut plures dignitates, sustinere possint, suffragente, — iurisdictionem sibi vendicarunt pene illimitatam: Stephanus quippe totius Sclavoniae Banus opportunum condendae novae civitatis locum elegit, Arbensibusque certis sub privilegiis cedit. Superiori civitati Crisiensi a se fundatae privilegium confert; Runensium privilegia confirmat.— Gregorius Magistro Durcislao, militi suo, villam donatam confirmat. — Nicolaus Henrici Bani filius possessiones donat; Oguz Banus Sententiae iudiciariae contumaciter, violenteque se opponit etc. Quin et regis constituendi et destituendi ius coeperant subin usurpare: Hanc in temeritatem proruperant Bani maritimi haereditarii, e Comitibus Brebiriis: Georgius certe, Andrea III. regnante, Bonifacium VIII Papam prius ad dandum sibi regem sollicitabat; mox Apuliam petit; uti docent Zagrabiensium monimenta. Cod. Dipl. T. VIII. Vol. IV. Conclusis Neapoli pactis, Carolum Robertum Zagrabiam usque ducit, ibique inungi auctoritate

pontificia per Gregorium Archiepiscopum electum procurat.

§. 30. Carolo Roberto, factione sua taliter in solium elevato, adversati sunt Bani nihilominus; Dalmatis Croatisque in suas partes tractis. In civitatibus maritimis, nomine Comitatus iuri suo subdendis, laborarunt maxime; castra iure feudatario possessa in suam proprietatem redegerunt: egerant haec Mladinus, ac Nelipicius Bani praecipue. Cf. Kerchelich Not. Praelim. p. 240. seq. Carolus ad Croatarum ac Slavoniorum animos pacis muneribus devinciendos nihil intentatum reliquit: postquam plures e statu privilegiato, banali iudicio domi neglecto, coram Palatini ac Judicis Curiae foris causas suas agitassent, solenni decreto eosdem ad suos Banos, sub illegalitatis nota, remisit. V. Dipl. an. 1325. nr. X. Nec bello profecit quidpiam contra eosdem: Venetorum, Slavoniae ducatus axioma usurpantium, ac Stepconis de Bosnia, exercitibus unitos. V. Cod. Dipl. T. VIII. V. VI. p. 8. 13. 78. etc. Cum Dalmatia et Croatia Slavoniam denique omnem fere amisit. Cf. Cod. Dipl. T. VIII. Vol. VI.

Horum sic meminit coaevus Chronici Zagrabien. Scriptor: „Carolus (Caroli Siciliae ducis filius) coronatus fuit anno Domini MCCC. — Iste rex multas adversitates fuit perpessus a principio sui regiminis per annos quam plures a tirannis sui regni infidelibus. — Ludovicus potentior factus fuit de Patre suo et subiugavit Croatiam et Dalmatiam a medio Carnery usque ad fines Duracy.“ l. c.

§. 31. Causis his, ut videtur, Ludovicus, labantis reipublicae columen, postquam Croatas castris revindicatis, Dalmatinos Venetis attritis, ad fidem revocasset; ad coarctandam Banorum potestatem prius quidem Banatum duobus concessit

administrandum; subin vero novum pro partibus regni sui intra Dravum et Savum sitis praestituit, a Dalmatiae ac Croatiae Banatu destinctum, Sclavoniae nuncupatum. Primus Sclavoniae Banus — praeter Nicolaum Zéch Croatiae ac Dalmatiae Banum — occurrit Leustachius Sclavoniae Banus An. 1359—1360. A. 1361. Banatus Sclavoniae vacat. A. 1362—1367. Stephanus episcopus Zagrabiensis ex gratia speciali Sclavoniae Banatum tenens. A. 1368 praeter eundem Nicolaum de Zéch, Petrus Zudar Sclavoniae Banus una Magister- Pincernarum— A. 1369—1380 idem Zudar. A. 1381. Stephanus Hahold, sive de Lindva Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae vero Emericus Bubek Bani etc. Spectatis rerum adiunctis idem Ludovicus Banatus singulos uni etiam contulerat: Talis fuit Petrus Zudar totius Sclavoniae, i. e. Dalmatiae, Croatiae, ac Slavoniae Banus A. 1373. — Sic ergo vetustissimi totius Sclavoniae, seu Croatiae Dalmatiae atque partium maritimarum, Banatus nomen in Croatiae, Dalmatiae, ac Slavoniae supremum magistratum transiit.

§. 32. Nequid seu ad securitatem regni tuendam, seu provincialium animos uniendos, deesse pateretur Ludovicus, Dalmatinorum quidem, ut causas suas iudiciarias ad proximas Italiae urbes appellare possint, votis subscripsit; Croatas vero et Slavonios suismet Banis subordinavit. Juvat regis gratiam ipsissimis Balthasaris Kerchelichii verbis referre: „Ludovicus, inquit, rex Hungariae coram nullo Judice trans fluvium Dravum iuri stare teneri praescribit, verum in praesentia Bani, aut eius vices gerentis, obligari. Horum vero iudicio non contentos ad Curiam regiam ius habere appellandi. Datum Budae A. D. MCCC. L. IX. Hoc pri-

vilegium appensione Sigilli sui dupplicis munivit An. 1364 et A. 1377 transumsit." Not. Prael. p. 241—2. Nobiles insuper Illyrios, ne marturinas solvant, benigne absolvit.

§. 33. Omnis haec regis Ludovici providentia, gubernaculo regni ad manus filiae suae Mariae, Sigismundi Marchionis Brandeburg. Sponsae, regnicolarum consensu sacro diademate redimitae, teneras devoluto, incassum cessit. Incendium Joan. de Palisna, ad Auranae, quam ipse Equitibus Hospitalalariis possidendam confirmaverat, praedivitem Prioratum e humili genere evectus, sufflaminaverat. Vir ingratus ambitionis, qua vivo adhuc Ludovico Banatum Dalmatiae ac Croatiae prensabat, Paulo de Paulis attestante, damnatus, seditionis signum sustulit: iactura ideo arcis Auranae mulctatus, fratrem Paulum Episcopum Zagrabiensem, Joannem item Horvathi, Stepconem de Bosna, aliosque in partes traxit, exitio regni per secula haud reparando his viribus auctus prolusit. Tristem catastrophen laudatus Kerchelich sequentibus depinxit: „E temporum Mariae ac Sigismundi circumstantiis promanat tot saeculis inimica reipublicae separatio sacrae Coronae subiectorum, ac utinam non a lacte hausta separatio animorum. Aegre ferebant Slavi, Transylvani, Bosnenses, se inconsultis successionem foeminei sexus ab Ungaris A. 1382 fuisse in Maria et Hedvige stabilitam; ut reges dare ambiverint, et Carolum II. regem fecerint. Quo indigne occiso, mortem eius vindicatum ibant. Mariâ mortua videntes alienos a Sigismundo Hungaros, huic subito adhaeserunt. Atque sic deinceps, traditione in naturam versa, non solum in ferendis pro eligendo rege suffragiis perpetuo adversati sunt Hungaris, cum Transylvanis idem sentien-

tes; verum distinctum etiam regnum, iuris proprii, se considerarunt. Quin sub maioribus praerogativis. Imo ea fuit scissio, ut proprias Diaetas observaverint, et Constitutiones fecerint demonstrantibus hoc decretis regni Slavoniae 1390. 1403. 1412. 1415. 1418. 1429. 1434. Quo anno Sigismundus per speciale mandatum disposuit, ut mandatis praeceptoriis Palatini et A. Episcopi locus detur in Sclavonia, cum essent Judices regni ordinarii aeque ac Banus. Alberto mortuo Transylvania profecto regem dedit; effecitque potissimum Wladislaum. Slavonia partium erat diversarum. Matkó Banus ad Wladislai partes eo facilius concessit, quo optabat magis a potestate Comitum Cilleensium esse absolutus. A. 1447. Zagrabiensis et Varasdinensis Comitatus, Nobilium universitas, Comites Cilleae sequens, eosdemque pro Banis Slavoniae recognoscens, non solum nuncios nullos Budam ad Comitia misit, sed scripsit epistolam adversus Joannem Hunyadium lamentatoriam. A. 1454. mortuo Ladislao Posthumo ad electionem regis Diaeta indicitur. An e Slavonia nostra electioni huic quispiam praesens fuerit? non erui. Intellecta Wladislai II. electione motus continuo sunt secuti. Profecto Istvanfio teste post Wladislai coronationem ad Maximilianum defecerant e Slavonia hac nostra Civitas regia montis Graecensis Zagrabiensis, Joannes item Alepi cum aliis compluribus, adeoque cum Varasdinensi Zagrabiensis Comitatus, Jacobus item Zekel Petoviae Rakensburgique sub Mathia Praefectus. Ladislaus de Egervara Dalm. Croat. Slavoniae Banus, quarum partium fuerit, dubium mihi est." l. c. p. 249. et 270. sqq. Cf. Dipl. nro. XIX. XX.

Hanc Croatarum ac Slavoniorum a Maria secessionem contra fas fuisse factam, agnoscit idem Kerchelichius,

dum ait: „Evincit haec congregatorum A. 1733. Sacrae Coronae Statuum testata art. II. aequitas: dum quae olim Dalmatia saniorque Hungaria ob immortalia Ludovici promerita constituit, tum ob renatum in Carolo III. Ludovicum in Legem relata sunt. Mihi persvasum est, si Scriptores nostri de utilibus reip. scripsissent a tot successive casibus immunis et libera fuisset Patria. Libertatem quaerebant, et hac omissa captivos Imperii Turcarum se effecerunt. Slavonia, quae tunc prima successionem foemineam acceptare renuit, illique restitit, successive prima (docentibus Actis publicis) tam sub Ferdinando I. quam etiam Carolo III. annuit, legitimam debitamque agnovit, eidemque subscripsit." l. c. p. 244—5.

§. 34. Sigismundus, Rex Hungariae, diligentia, qua par fuit, Banatus divisionem, parte Croatiae utut ad Stephanum Dabissa, Bosniae regulum, desciscente, studiose observavit. Slavoniae Bani sub eo fuerant: Ladislaus Laczkovich A 1388. Detricus, alias Demetrius, Bubek A. 1390—9. Banatus Slavoniae vacat A. 1400. Paulus Bissenus A. 1400. Paulus de Peech per Hungaros creatus Banus Ao. 1402. Emericus Bubek, et Eberhardus Zagr. episcopus per regnicolas constituti Bani Ao. 1403. A. 1406. Hermannus Comes Ciliae Ao. 1406. Joannes de Alben et Medve Ao. 1414. David Laczk de Szanthó Ao. 1417. Dionysius de Marczaly Ao. 1419 etc. Sclavoniae Bani occurrunt. Diuturnum regimen Sigismundi a Congregationibus etiam per Sclavonios secundum ac praeter ius celebratis est memorabile.

§. 35. Non absimiliter sub Alberto et Wladislao I. distincti laudantur Sclavoniae Bani: Matko de Tallocz A. 1435—44. Sub gubernio Joannis de Hunyad: Joannes Zekely de Szent György A. 1445 et sequentibus; Regnante Ladislaò Posthumo: Fridericus et Ulricus Ciliae, Ortenburgae et Zagoriae

Comites, Sclavoniae Bani, supremo poene iure in Slavonia dominati. A. demum 1455 sub gubernio Michaelis Szilagyii, Joannes Bithovecz de Gereben Sclavoniae Banus. Cf. Kerchelich l. c. p. 176. in Hist. Eppatus Zagrabiensis. Albertus, ut marturinae in regno Sclavoniae deinceps etiam exigantur, statuit: Decreti sui art. 7.

§. 36. Banalis dignitas novam cepit confusionem Mathia Corvino regni solium, motus inter intestinos, adepto, per ducatum et banatum Sirmiensem superinductum. Sirmiensis quidem provincia iam sub Andrea II. ducem nacta fuit Giletum A. 1210; a Bela IV. Calo-Joannem una Comitem de Kewe A. 1235. Tum Joannem Angelum una Comitem de Bachia A. 1238; ast a Mathia Corvino primum obtinuit Banatus honorem. Is nempe Comitatibus Zagrabiensi et Chrisiensi partes Comitum Ciliae sectatis, potioribusque regni proceribus ad Fridericum III Imperatorem desciscentibus, anxius, ut Nicolaum de Ujlak, Transilvaniae Vajvodam ac Machoviensem Banum, ad se traheret, Banali insuper eundem in provincia Sirmii potestate ornavit, qui etiam Sclavoniae Banus fuit dictus: „Nicolaus de Ujlak, Vajvoda Transilvanus, regnique Sclavoniae et Machoviensis Banus, Comitatuum Sirmiensis et Albensis Comes, datum in Castro nostro Palotha A. M.CCCC.LX. apud Kaprinai Dipl. T. I. p. 152. Banus Sclavoniae alter fuit id temporis Joannes Bytovecz de Gereben, evincente ipsius mandato, quo Comitatum Zagrabiensem contra Thomam Auranae Priorem insurgere iusserat. Bani vero Croatiae ac Dalmatiae fuerant: Ladislaus de Losoncz, tum Emericus de Zapolya Bosnae Gubernator etc. Successores Nicolao Ujlaky in neocondito Banatu Sclavoniae dedit idem Ma-

thias: A. 1468 Joannem Thuz de Lak. A. 1471 Blasium Magyar. A. 1472 Petrum Bocskay. A. 1474 Joannem Ernust de Csaktornya et C. Crisiensem ad dies vitae. Praeter hos fuerant alii Croatiae, Dalmatiae ac Slavoniae Bani. Hinc Bani dupplices facti sunt: alii Sclavoniae hungaricae Bani, Nicolai Ujlaky successores, alii Sclavoniae Croaticae, Joannis Bytovecz successores. Sed et Banatus hos iunctim contulit idem rex, tales fuerant: Nicolaus Ujlaky Bosniae rex A. 1462. Joannes Thuzz de Lak A. 1468. Andreas Bánfi A. 1483. Joannes Corvinus A. 1490. His Banis totius Sclavoniae dictis vetustum Banorum totius Sclavoniae nomen exolevit. Ceterum, ut Sclavonia et Croatia in suis libertatibus relinquatur, lege iussit. D. II. art. 13.

Neocreatus Sclavoniae Hungaricae Banus. Nicolaus ab Ujlak, habuit officii sui etiam vices gerentem, Vice Banum Marchinensem dictum. V. literas Civium Oppidi Ujlak vel Vilak. ap. Jos. Koller Hist. Eccl. Quinqeccl. T. IV. p. 52. Provinciae autem Danubio ac Savo interceptae Marchiae nomine sunt compellatae. Cf. eund. T. I. sub Bonipento nro XIII.

§. 37. Wladislaus II. distractis inertia sua, sub regiminis aditu, in partes regni ordinibus, iure successionis Friderico III. ac Maximiliano I. Imperatoribus sancito, Sclavoniaque Joanni Corvino cessa; mox nihil non egit, ut Sclavoniam revocaret, sub iuribusque sacrae regni coronae confirmaret; nam: Sclavoniae regnum axiomatibus regiis inseruit; Statuta eius municipalia inter articulos legum retulit; insignibusque armorum condecoravit; ut a singulis portis dimidiam nonnisi Hungariae contributionem solvat, decrevit: Wlad. D. I. art. 2. Postquam Laurentius Ujlaky, Sirmii dux rebellis in ordinem est redactus, Palatinalis in Comitatibus Szerem, Valko, Posega, ac Verőcze iurisdictio revixit, V. Dipl. uniusque Sclavoniae, ut prius, Banatus. Huic praeerant hi:

Joannes Corvinus et Ladislaus de Egervára A. 1490 —5. Post resignationem Joannis Corvini, Emericus Derencsényi et Joannes Both. A. 1495. Sigismundus Hampo, episcopus Quinquеccl. ac thesaurarius regius A. 1496. Iterum Joannes Corvinus et Georgius de Kanysa 1497. Joannes Corvinus A. 1500 solus usque dies vitae A. 1504. Andreas Both et Franciscus Balassa A. 1504. Petrus Berislaus, episcopus Weszprimiensis, et Emericus Perén A. 1512 —14 Bani regnorum Croatiae Dalmatiae ac Sclavoniae. — Sic distinctus Sclavoniae Hungaricae Banatus exolevit, et in Croatiae, Dalmatiae ac Sclavoniae rediit. V. Diploma.

§. 38. Infaustis Ludovici II. discordiis domi, periculis foris, agitati temporibus, (queis regna Dalmatiae ac Croatiae nulla sui, pace cum Turcis confecta, facta mentione irritati, dedere semet Turcis volebant, et ob aeris defectum castra ipsorum tutelae Ferdinandi A. ducis Austriae sunt commissa) — Croatiae, Dalmatiae ac Slavoniae Bani post Petrum de Berislo fuerant: Joannes Torquatus Karlovich et Franciscus Batthyányi. Distincti Slavoniae hungaricae Banatus nullum amplius vestigium. — Ut Statuta Croatiae ac Sclavoniae quoad insurrectionem perlegantur, et quae bona sunt, observentur, sancitum Lud. II. Decr. VII. art. 12. — Post funestissimum illius ad Mohács obitum, A. 1527 Jaicza, caput Bosniae, imbellis Praefecti Gorbonoghii ignavia, cum universa provincia, Turcae cessit. Banialuca quoque ab Andrea Radovich una cum civitate, pari segnitie, Turcarum metu succensa Turcisque relicta. Udvina quoque, Lica et Corbavia cum suis Oppidis, Castellis, arcibus Turcis occupantibus obtigit e Croatia. A. 1513. Szabacsio, Belgrado, ac Zemlino, A. 1521. Illokino,

Petrivaradino A. 1526. iam perditis, Eszekinum, Posega, cum tota provincia, in Sclavonia hungarica 1537, mox Orbovacium, Berislovium in Croatia, a Mehemete Jahiogli Belgradensi Praefecto, subacta. Taliter Slavoniae hungaricae Banatus annum usque 1697. interiit; Croatiae ad angustos Licanum, Ogulinum, Carolostadiensem, ac Segniensem districtus arctatus; solus Sclavoniae Croaticae banatus, accolarum generosa virtute, inter omnes bellorum calamitates, incolumis fuerat conservatus. V. Dipl. nro XXXV.

§. 39. Si praemissa, legumque monumenta, respicimus, sequentes patescent regnorum Croatiae ac Sclavoniae ad sacram Hungariae coronam relationes: Croatae ac Slavonii a rege Colomanno aequales cum caeteris regnicolis nacti sunt immunitates, a successoribus confirmatas, a Stephano rege Juniore, Dalmatiae, Croatiae, ac Sclavoniae Duce, speciales etiam nonnullas, a Patre Bela IV. ac filio itidem Bela roboratas A. 1267, et in exordio Diaetae A. 1479. art. 9. ratihabitas. In Comitiis Hungariae cum reliquis regnicolis ex aequo concluserunt: Diaeta A. 1463. Ad hanc nuncios suos miserant A. 1515: 42. Proprias etiam celebrarunt congregationes publicas A. 1270. sub Stephano V. A. 1477 sub Mathia, A. 1505 Vladislao II. regnante etc. Quod negotia municipalia in congregationibus suis pertractandi ius art. 58. 1791. porroquoque, ea tamen cum modificatione confirmatum est, ut illas cum praevio nonnisi annutu regio queant celebrare. Constitutiones ipsorum taliter factae A. 1492. et 1538. Corpori Juris Hungarici sunt insertae. Vladislaus II. Sclavoniae quoque regis titulum adhibere coepit, ac mediante A. 1496. rescripto Universitati Nobilium regni

Sclavoniae sigillum cum usu rubrae cerae concessit, quo per Proto-Notarios, a rege nominandos, articuli Generalium Regni Congregationum, et quaevis Acta erga mandata requisitoria ex Archivo regni expediuntur.

Supremus apud Croatas et Sclavonios, usu gentis, post Principem regnantem, Ministerialis est Banus. Ut incolae totius Sclavoniae coram nullo Judice alio trans fluvium Drava iuri stare teneantur, sub invaliditate sententiae, verum in praesentia illius, aut eiusdem vices gerentis, respondere sint obligati; horum vero iudicio non contenti in Curiam regiam appellare possint, constituit Carolus Robertus A. 1325. Iteravit Ludovicus A. 1359. rescripsit A. 1377. Confirmavit Sigismundus A. 1395. et A. 1405. transumsit. Banus est executor etiam suorum Judiciorum sub iisdem poenis, sicut in Hungaria A. 1518. Diaet. Bach. art. 6. et A. 1519: 23. Idem Banus unum Banderium statuere, atque cum suo Banderio ad regale Banderium militare obstrictus fuit A. 1435: 4. Decr. Wlad. II. tertii art. 21. §. 4. A. 1609: 27. 28. 1659: 59. Regnorum Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, ac Confiniorum regni Vnnanorum et Colapinorum Capitaneus confirmatus est a Regina Maria Theresia mediante Diplomate 1740 edito, cum iure V. capitaneum denominandi. Secundum Andreae II. Decreti articulum 30, ac Vladislai II. Decreti III: 70 is unus ex quatuor regni Baronibus duas etiam dignitates tenere potest; in generalibus regni Hungariae Comitiis post Judicem Curiae Regiae sedet iuxta dispositionem art. 10: 1687. Ad Excelsum Consilium R. comparens sessione, dignitati suae competenti, ac voto gaudet, tenore 59: 1791. Eius authoritas et iurisdictio conservanda 1647. §. 4. Dipl.

Inaug. A violentiis inferendis prohibitus sub amissione Officii 1444: 9. Nec Nobiles descensu indebite gravare 1291, nec exercitum generalem promulgare, donec ordinariis viribus resistendo fuit, potuit 1447: 9. Pecuniam ex oblato subsidio a Thesaurario accepit 1518. Banatum per arbitrium regis nanciscitur ac resignat 1444: 2. etc.

Incolae Croatiae ac Sclavoniae regi proventus marturinales ab omnium bonis solverunt ab aevo Colomanni Decr. Andr. II. art. 27. Alberti 8; 1443. 3: 1458. art. 10. Lucrum Camerae atque dimidietatem censuum taxatorum etc. quantum in Hungaria, A. 1472: 12. Decr. Vlad. II. 1491. 2. Una tantum vice paria cum Hungaris tulerant onera 1541: 41. Qui lucrum Camerae ac marturinas non solvunt, secundum connumerationem aliorum regnicolarum exercituabant 1459: 3. 32. Equites mille paratos habebant 1525: 42. Pro continua militum defensione a centum colonis duos equites, ac quindecim denarios, obtulerunt in subsidium belli 1539: 7. 10. Insurrectio regnorum Croatiae, ac Sclavoniae iam nunc ab immediatis Bani ordinibus in conformitate art. 66: 1681. per art. 5: 1808. confirmati, dependet. Modum explendae huius obligationis Constitutionum, regni Sclavoniae Tabulis illatarum, articuli 1538: 4. 1659: 85. 1681: 66. 1741: 69. et 1808: 5. praescribunt. In vicem, pro illius defensione, gentes regis et reginae, regnicolarumque proficiscuntur 1539: 12. Decimas secundum Decretum Sigismundi regis solvunt 1470: 5. Tempore defectus possunt etiam sale uti extraneo 1472: 8. Consvetudo circa migrationem Colonorum eadem, quae in Hungaria observatur 1445: 22. — Quaestio, quae partes et ambitum Sclavoniae concernit, est magis controversa.

§. 40. Generalis Banatus Sclavoniae divisió fuit in Superiorem et inferiorem: Superioris a fluvio Dravo usque Savum, vestigium superest in Marcha ad Ivanichium, hodie vulgo Marcsa. Cf. Kerchelichium in Not. Prael. p. 37. 77. 432. Inferioris clariora sunt indicia: a fluvio Sava usque contiguitatem districtus Dubicza, inter amnes Savum, Verbasz et Unnam: Stephano quippe Comiti de Goricza rex Hungariae Emericus terram Vodicza vocatam in partibus inferioribus Sclavoniae conferens, has in contiguitate Districtus Croatici Zarae et Dubiczae, iuxta Podgoriam et Goricziam, ac partes Carinthiae, sitas asserebat, V. Dipl. A. 1197. Cop. Dipl. T. II. p. 504.

Croatiam a Sclavonia fluvius Unna inter Costonicza tum Novi ac Dubicza decurrens continuo divisit: „Cum enim Turcae Hunnam fluvium, qui e Dalmatiarum montibus ortus, sinuoso cursu per intima Croatiae defluens, modo lenis et placidus, modo citatis aquis celerior, sub arce Dubicza Savo miscetur, et Croatiam a Sclavonia dividit ,magno numero populando vagarentur, a nostris occidione deleti sunt." Jstvánfius Hist. L. II. Cf. Mappam Dalm. Croat. ac Sclav. Historiis praefixam apud Joannem Lucium. Consentientem in hoc quoque habemus eundem Kerchelichium dicentem: Gorizia, celebris olim locus, in limitibus Slavoniae a Croatia fuit. l. c. p. 103. Sed ambitus Sclavoniae Banatus e Comitatibus, in quos divisus fuerat, optime determinatur.

§. 41. Banatum Sclavoniae, uti Hungariam, Transilvaniam, ac Croatiam in Comitatus fuisse dispertitum, nullum est dubium: sunt ii hodie: Zagrabiensis, Varasdinensis, ac Chrisiensis. Fuerant ii primitus certe plures: in Stephani enim, Belae IV. primogeniti, Sclavoniae Bani, literis, quibus castra alienata revocavit A. 1242. occurrit Comitatus, et Andreas Comes Varasdinensis, in Matthaei vero Bani An. 1270 praeter Zagrabien-

sem ac Chrysiensem expresse memoratur Zagoriensis, quem a Mathia Corvino, propter Comitum Ciliae, eidem providendi honore praesidentium, insolentiam reductum, ex art. 50. Comitiorum A. 1486. comperimus. In Belae autem Ducis privilegio, quo A. 1225. Ecclesiam Topliczensem annualibus 20 marcis super generationes Comitatus de Gora pro remedio animae matris suae deuoverat, occurrit Goriczensis Comitatus; denique Chasmensis in donationalibus Joannis Episcopi Zagrabiensis A. 1293. Hos inter etiam vetustos Verevcze Posega, Valpo, ac Szerem, modernos Verőczensem, Poseganum, ac Sirmiensem Comitatus esse accensendos, contendit quidem Anonymus Fundamentorum author, tanquam semper ad regnum, ac Banatum Slavoniae pertinentes, dissertatione A. 1790. edita, ac recentius Zagrabiae recusa; ast eosdem ad regnum partesque Hungariae inferiores spectasse, cum ex historicis, tum etiam legum articulis, iurisdictione item per Palatinum, Judicemque Curiae regiae ibidem exercita, diplomatibus denique regiis, clarere mihi videtur.

§. 42. Hac in quaestione Historia est imprimis nobis percurrenda: Saec. XI. Cum protorex limites Diaecesium Quinqueecclesiensis ac Bacsiensis (iam Colocensi unitae) in partes illas ab amnis Almás in Dravum influxu extenderit; Rado Palatinus ibi suam S. Michaelis Ecclesiam ac S. Demetrii monasterium, confirmante Andrea I. R. H., fundaverit, dotaveritque; S. Ladislaus limites controversos ibidem inter Quinqueecclesiensem ac Colocensem rectificaverit §§. 22. 23; Comitatus illos Saeculo XI. partibus Hungariae accensos fuisse, dubio vix locus esse potest.

Saeculo XII. Scriptor contemporaneus expeditionis asiaticae Friderici Barbarossae Imp. apud Ca-

nisium Lect. Antiq. edit. Bongarsii T. III. P. II. p. 506. cruce signatorum e Germania per Hungariam profectionem describens: „deinde, inquit, venientes ad Thravum amnem nec eum invenientes vadabilem, illum tamen, licet cum difficultate, navigio transierunt. Inde per regionem bonis omnibus opulentam, vicum S. Georgii Francam villam, et Sirmium, civitatem olim quidem famosam, sed modo dirutam, transeuntes, quarto Calendas Julii ad fluvium Savum, sive Savam, pervenerunt. Post transitum fluvii, nostri iam nunc in finibus regni Graeciae, in Bulgaria, constituti castra metati sunt ad Belgradum.“ Progredientes itaque cruce signati per Dravum, per vicos S. Georgii, Francam villam (hodie Mangyalos) Sirmium (cuius agri locum nunc pagi Georgurevecz et Krdljevcza, Herhovcze, ac Csazma occupant) usque Savum per Hungariam iter fecerant. Sunt autem loca haec in Comitatibus quaestionatis.

Cynnamus eodem Seculo lib. V. nro 9. ait: Petricum (hodie Petrivaradinum in Comitatu Sirmiensi) urbem esse infra Banmonostra aditûs in inferiorem Hungariam primum terminum.“ Ergo Petrivaradinum, Banmonostra, ad inferiorem Hungariam pertinebant.

Saeculo XIII. Diploma A. 1239. mense Maio editum (V. Cod. Dipl. T. III. Vol. II.) commemorat trans Dravum Archidiaconatum Marchiae, Dioeceseos Quinqueecclesiensis; eodem Seculo etiam Magister Rogerius, qui annis consequentibus cladem a Tartaris illatam descripsit, Marchiam nominat, ac situm eius his verbis notificat: „Comani vero et Tartari terram postmodum destruentes ac convenientes in unum ex ista parte Danubium transierunt, et sic destruendo inceperunt ad Marchiam properare,

et, destructis melioribus villis, Franca villa, Senatoriá S. Martini et aliis, in Bulgariam transierunt." Cap. XXVII. Marchia vero tantundem est ac confinium, limes, terminus. Vid. du Cange in Glos. Marcha, Marchio. Provinciae itaque trans Dravum et Danubium, ubi villa Franca, S. Martini etc. fuerant confimia Hungariae versus Bulgariam: Sunt autem illae: Verőcze, Posega, Valpo, ac Szerem.

Saeculo XIV.: In Codice autographo Vaticano collecturae decimae triennalis annis 1332 et sequentibus, cuius par in Archivo Bibliothecae nostrae existit, Dioecesi Quinqueecclesiensi accensentur: 1) Archidiaconatus de Wolko, in quo loca: de Wolkowar, hodie Wukovár, de Liszko, hodie Lieskovo (limes versus dioecesim *Zagrab*), de Nemeth, hodie Nemcze, de Savia etc. 2) Archidiaconatus de Oziag. seu Eszekiensis: in quo Ezek, hod. Eszék, de Radvan, aliter Roduvan (Radonis Palatini nomen conseruans) de Magnavilla aliter Nogifolou; de Valpo hod. Volpo, de Nempczi, alit. Nemiti etc. 3) Archidiaconatus de Posega: in quo de Posago, h. Posega. De Posogavar, hodie Haptol. De Rudina, hod. Rudin. etc. 4) Archidiaconatus de Marchia: in quo: de Frankavilla aliter Nogolasy hod. Mangyalos, de Morod, aliter Marchia, hod. Morovicz. De Wylak, hod. Illok etc. Totus vero tractus trans Danubium ultra Marchiae Archidiaconatum usque Savum appellabatur Archidiaconatus Sirmiensis, Dioeceseos Colocensis, fide libri Decretalium: „Cum insertor fit de maioritate et obedientia." Proin omnes hi tractus partes Hungariae constituerint, est necesse.

Banostor (Banmonostra, antiquis Bannum) locus trans Danubium in Comitatu Sirmiensi, situs

esse dicitur in metis Graeciae, uti discimus e libro confirmitatum a Bartholomaeo de Pisis A. 1399. perscripto edit. Bonon 159. fol. 1636. qui enumerans conventus fratrum Minorum Custodiae Girmiensis (rectius Sirmiensis) Franca villa (Mangyalos) Zemlinum, locum Banni (Bannmonostor) in Metis dicit Graeciae. Cui consentit etiam in hoc codex Aracaelitanus, scriptus A. 1414. apud Vaddingum ad A. 1400. nro XII. edit. Roma 1734 p. 230. Erant proin metae Hungariae versus Graeciam in Comitatu Sirmiensi: quia Banostra in eodem situs est.

Saeculo XV. Joannes de Hunyad regni Hung. Gubernator litteris ad Fridericum Imperarorem datis Petrivaradinum in confinibus Hung. situm asserit: „Novissime, inquit, nos una cum certis Praelatis, Baronibus et Nobilibus regni Hungariae in confinibus eiusdem inferioribus, in oppido Varadino Petri, certam Diaetam tenuimus.“ Si vero Petrivaradinum in Hungaria, fuit etiam Comitatus Sirmiensis, quo continebatur.

Eodem saeculo XV. Joannes Thuroczi Chron. P. II. c. 22. „Sigismundo regi illustris Princeps Georgius, Rasciae Despotus, Castrum Nándor Albense — Domini 1435 circa annum cessit. Quod castrum postea, rebus Turcorum invalescentibus, agro Hungarico, ut infra (. C. 36.) stilo tangetur brevi, haud parvae utilitatis fuit. Rex vero Sigismundus in regno suo Hungariae castra Zalankemen, Kewlpon, Bechty, Wylágosvár et alia nonnulla, in civitateque Budensi domum egregiam, illius dignitati sufficientem, pro descensu et hospicio eidem, donavit.“ Est vero Zalankemen in Comitatu Sirmiensi.

Dlugossus Hist. Polon. L. XIII. „Joannes de Capistrano ad extremam horam perveniens, XXIII die Octobris (A. 1456.) adeoque lente ac svaviter iuxta ac si sopori se daret, in oppido Hungariae Ulak Christo Spiritum reddidit." Ujlak est in Comitatu Sirmiensi, hodie Illok.

Petrus Ranzanus Siculus Episcopus Lucerinus, apud Mathiam I. per triennium legatus Neapolitanus, Epitome rerum Hungaricarum in indices digesta habet Indice I. „Universam Hungariam in pagos, conventusque dividunt, quos cum appellent comitatus, fit, ut tota ipsa regio in comitatus sit divisa. — Sunt autem comitatus complurimi, numero 73. Eorum multi a dextra, multi a laeva Danubii positi sunt. Sed eos primum, qui a dextra, deinde qui sunt ad laevam, enumerabo: Sirmiensis dictus a Sirmio, antiquissima et hodie episcopalis sedis dignitate praestanti civitate. In eadem regiuncula Comitatus est Valconensis — post eum est Comitatus Poseganensis a Posega appellatus oppido, qui intra Savum, Dravumque diffunditur etc. Indice II. Sirmiensem Comitatum uberius describens ait: „Quibus in locis ea regiuncula, quam vocitant Sirmium, ita cognominatum ab oppido vetustissimo, quod Sirmium apud vetustissimos Geographos dicitur; terra ferax est vini, apud Hungaros quam laudatissimi; occurrit deinde Uylak, in quo oppido Joannis Capistrani, viri Dei, corpus conditur. Sub eo loco Xerut, sub quo Bejim; contra quod, hoc est ab adversa ripa, situm est Futach. Ab altera parte post Bejem Chamans, postea Petri Varadina, Charum, (Harum) Sallankemen, Zemlin. Hisque in locis inferior desinit Pannonia; hic se Savus Danubio miscet, quibus fluminibus Moesia a Pannonia ipsa dirimitur." — Per Panno-

niam autem intelligit Hungariam, praemittens Ind. I. „Ante tamen, quam ad ea ostendenda me conferam, non Hungariae, sed Pannoniae vocabulo utar, quae his clauditur regionibus.“ Enumeratis denique Hungariae Comitatibus, Slavoniae ac Croatiae provincias distingvit.

Antonius Bonifinius Asculanus, regi Mathiae familiaris, Hungariam similiter distingvit: „Conventus quam plurimos habet (Hungaria) utrasque Danubii ripas occupantes — Citerioris, qui per Pannonias diffusi sunt, prius sunt ordine referendi: inprimis Sirmiensis conventus a Syrmio — deinde Valconensis — post hunc Poseganensis inter Savum Dravumque diffusus -- Sclavoniam autem Dalmaticam duobus tantum Conventibus complectuntur, qui Seniae (Segniae) ac Zagrabiae haberi solent.“ Edit Lips. 1771. p. 24. Item: „Deinde oppidum Divi Demetrii (Mitrovicz) ad Savum amnen situm non minimi momenti locus, quod per eum Turcae infesta in Illyricum arma ferre consvevissent, misso (per regem Uladislaum) Despota obsessum, cum resistere non posset, deditionem fecit. Ita omnibus, quaecunque Laurentii (de Ujlak) fuerant in inferiore Ungaria duobus mensibus in ditionem (Uladislai) adductis — hic A. (1494) obiit.“ p. 745.

Extat in Bibliotheaa Viennensi Caesarea codex Mss chartaceus in folio, signatus inter Hist. Prof. nro 487 cum titulo: Registrum omnium proventuum regalium in his duobus infrascriptis annis per Reverendissimum Dominum Sigismundum, Episcopum Quinqueecclesiensem, Thesaurarium regiae Maiestatis, in parata pecunia perceptorum incipiendo ab ultima Januarii Anni Domini Millesimi quadringentesimi nonagesimi quinti.“ — In

hoc regestro refertur contributio **unius floreni Comitatuum Hungariae**, quos inter Comitatus de Posega fol. 41. his verbis: „Posega per Palko et Michaelem Magyar Comitatus praefati dicatores: ratio est data super contributione unius floreni, cuius summa facit fl. 3647 et medium etc. — Sclavonia expresse distingvitur fol. 34. „**Sclavonia** per Ludovicum Zerechen et Magistrum Andream: ratio data est super **contributione medii floreni**, ex ista parte Zavae; ex altera enim parte nec connumerati sunt, nec aliquid solverunt. — Cuius quidem connumerationis summa per **Comitatus Hungariae** facit fumos triginta unum millia ducentos viginti quinque; florenos autem 16122 et medium. — Item bona Judicum Nobilium in quatuor Comitatibus **regni Sclavoniae**, scilicet Veröche, Crisien, Zagrabiens. Varasdinen. faciunt florenos 100. et medium. Dicatores vero quatuor Comitatuum etc. fol. 256. et 264. — Constat ergo Sclavoniae Banatum hoc tempore Comitatus, Veröczensem, Crisiensem, *Zagrabiensem*, et Varasdinensem, reliquos autem Poseganum, Valkoensem, Sirmiensem etc. Comitatus Hungariae effecisse. Constat autem non solum ex episcopi Sigismundi testimonio, verum etiam ex ipsa dicationis ratione, nimirum quod Poseganus etc. unum florenum, Comitatus vero Veröczensis, Crisiens. *Zagrab.* et Varasd. dimidium contribuerunt: sic enim legitur A. 1492. sub Wladislao II. sancitum: Si Maiestas Sua incolis regni Sui Hungariae quibuscunque ex rationibus nunc et in temporum successu aliquot solutiones fieri statuerit, extum talium solutionum medietatem in regno suo Sclavoniae, iuxta ipsorum constitutionem, semper et usque ad hoc tempora observatam,

exigere habeat, et teneatur. V. Math. Dect. IV. art. 7. et Wlad. II. Decr. III. art. 16.

Indiculus comitatuum regni Hungariae, ac Slavoniae, qui legitur initio Codicis Mss. Bibliothecae episcopalis Quinquecclesiensis, Quadripartitum Juris Consvetudinarii regni Hung., Ferdinandi I. authoritate per Croatos compilatum, ipsique A. 1552 dedicatum, exhibentis, similiter habet: Nomina Comitatuum regni Hungariae florentis: Sirmiensis, Walko, Posega, Werőcze etc. Comitatus vero regni Sclavoniae: Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinensis. Alter ad calcem Corporis Juris Hung. Tyrnaviae A. 1584. Zachariae Mosóczy Nitr. et Nicolai Telegdi Quinquecccl. episcoporum opera typis editi relatus: Comitatus, ait, regni Slavoniae: Crisiensis, Zagrabiensis, Varasdinensis."

Paulus Jovius historiarum sui temporis L. XXXVI. Parisiis A. 1553. fol. 191. „Est, inquit, mons, qui Sclavoniam et Posegam dividit — a dextra eius montis radice per Posegam, a sinistra autem per Slavoniam, ad Ezechium iter patet — — Igitur in consilio decernitur: omissa Posega per Slavoniam omnino iter faciendum."

Saeculo XVI. Stephanus Brodericus Procancellarius narratione de Clade in campo Mohács, in qua Ludovicus II. rex Hungariae et Bohemiae occidit p. 22—23. „Hungariam, inquit, totam — Danubius — mediam interfluit, atque in partes scindit in citeriorem et ulteriorem. Citerior est ea, ubi olim Pannoniae fuerant, haec ab ulteriore Hungaria Danubio ac Austria et Norico — a Slavonia Dravo, a Bosnia et Rascia Savo fluminibus terminatur. Nam in locis Danubio propinquis, et ad Belgradum spectantibus ad Savi usque fluminis ostia cum Danubio excurrit Walko, Posega, Sir-

mium, tres inferiores provincias, quas nos Comitatus vocamus a Slavonia divellens. Citeriori Hungariae, ubi Dravum transieris, annexa Slavonia est, pars olim Pannoniae superioris (inferioris) inter Savum et Dravum posita, sed Savum etiam longe transgressa, et usque ad flumen Hunnam (hoc enim nunc illi nomen est) protensa ubi Croatia incipit." p. 18. „Arcem Temessiensem et eas regni partes (Cis Danubium) quas inferiores vocamus, Petrus Peréni tuebatur, Sirmio, et ei regni parti, quae inter Savum et Dravum per ripam Danubii iacet, Paulus Thomory, Archiepiscopus Colocensis (non Banus) praeerat." p. 25. Infra Budam per ripam Danubii descendentibus Tolna est, inde Batha, sub Batha Mohaz, ad ripam Danubii situm, tribus milliaribus a Danubio remotum. Ultra Dravum Valpo est, arcem nobilem habens. Supra eum autem locum, ubi Dravus Danubio miscetur, in ulteriore ripa est oppidum Ezek, post Ezeck Erdeud est — post Valko, Zatka, a Zatka per eandem ripam est Wjlak, oppidum arce nobilissima, atque ibi primum aperitur beata illa et fertilissima regio Sirmiensis — Prima in Sirmio ab Wjlak recedentibus occurrit Banmonostra, sedes Episcopatus Sirmiensis, ac antequam ad Varadinum Petri perveneris, Kamenech oppidum, intra illud est Varadinum Petri, postea Zalankemen, inde in angulo eo, ubi Savus Danubio influit, arx Zemlen. — Et in hunc modum se habet Hungaria, et eorum locorum, ubi cruentam cladem accipimus, situs." Fuit Brodericus ad Dravi in Danubium ostia natus, proin regionis huius optime conscius.

Hungariam, Slavoniam, Croatiam, Dalmatiam initio Diplomatarii sui delineavit Faustus Ve-

rantius ex formulario Cancellariae maioris A. 1583 sequentibus: Regnum Hungariae haec regna habet coniuncta: Dalmatiam, Croatiam, Slavoniam, Ramam, Serviam, Bulgariam, Galliciam, Lodomeriam, Cumaniam etc.

Comitatus regni Hungariae superioris: Scepusiensis, Saros. Torna. Zemplin. Abaujvár. Beregh, Ungh, Szathmár, Szabolch, Gemer, Borsod, Heves, Zolnok exterior, Pest et Albensis Sedes Solth, Neograd, Zoliensis, Bars, Honth, Nittriensis, Trenchin, Turocz, Arva, Lipto, Poson. Comitatus Cis Danubiani: Moson, Sopron, Castriferrei, Jaurin, Comaromiens, Szala, Weszprim, Somogy, Albaregal, Strigon, Pilisien, Tolnen, Baranya.

Comitatus eiusdem inferiores: Valpo, Posega, Sirmiensis, Verőczen. Bogrug, Marmaros, Kraszna, Zolnok mediocris, Bihar, Békes, Zaránd, Csongrád, Orodiensis, Bacsiensis, Themesiens. Torontál, Zevriensis, Kewe, Harán, Mako, Orbacz.

Comitatus Slavoniae: Zagrabiensis, Varasdin. Chrisiensis.

Archiepiscopatus in Ungaria: Strigoniensis, et Coloczensis, seu Bachiensis.

Episcopatus in Hungaria: Agriensis, Varadiensis, Transilvaniensis, Quinquecclesiensis, Veszprimiensis, Jaurinensis, Chanadiensis, Vaciensis, Nitriensis, Sirmiensis.

Episcopatns in Slavonia: Zagrabiensis.

Episcopatus in Croatia: Tinniniensis, Modrusiensis, Bosnensis.

Archiepiscopatus in Dalmatia: Jadrensis, Bagusinus, Spalatensis.

Episcopatus in Dalmatia: Segniensis, Scardonensis, Pharensis, Sibenicensis, Nonensis, Corbaviensis, Makarensis, Vegliensis.

Saeculo eodem XVI Joannes Listhius, episcopus Veszprimiensis et Maximiliani II. Imp. Cancellarius, in iis, quas ad exemplar Decadum Bonfinii edit. Frankofurt. per Sambucum adornatae, sibi A. 1568. 10. Junii dono missum, manu ad marginem scripsit, animadversionibus, ad illum Bonfinii Dec. I. locum, ubi ait Slavoniam et Dalmatiam duobus conventibus ab Hungaris comprehendi, notavit: „falsum dicit; nam in sola Slavonia tres sunt comitatus: *Zagrabiensis*, *Crisiensis*, et *Varasdinensis*.“

Saeculo XVI. exeunte Nicolaus Istvánfi Historiarum L. IV. de nuptiis Wladislai regis A. 1501. celebratis, ingesta mentione, ait „Paucis ante nuptias diebus Turcae, traiecto ad locum, qui Malomfalva dicitur, Savo, in Posegam et Valconem, Ungariae regiones, populandi excurrerunt, et igne ferroque grassati magnam undique formidinem incusserunt.“ Tum de Petro Petrovich: „Erat is ex Posega, provincia Hungariae, oriundus, Vajvodaeque (Joanni *Zápolyae*) sangvine iunctus.“ Lib. V. „Posega est citerioris Pannoniae regio, vicina Illyrico, quae inter duo flumina Savum et Dravum paribus fere intervallis sita erat.“ L. XIII. „Disputatur interea militari in consilio (Katzianeri A. 1537) an eadem via uti planiore, vel relicta ad dexteram Posega, quod ei adeunda iuga et saltus Paranitii montis, Posegam a Slavonia discernentis, difficili labore superanda essent, progredi expediret.“ Istvánfius erat, qua Propalatinus, atque in Slavonia Dynasta, rerum harum certe peritus, de quo Kerchelichius notavit: „Dignam accuratamque Slavoniae modernae Historiam vix scripsisse aliquem autumamus. Ratkay quidem Panegyrim

rectius scribit ac Historiam. Temous denique in Scholio: „Eheu! quod fatum Sclavoniae est! Hanc unam iacere in tenebris multi et clarissimi viri patiuntur: uti Istvánfius, qui suam Historiam in Sclavonia (in Pankovecz et Vinitza) conscripsit, ubi amplissima Dominia tenuit, et (A. 1615) Deo animam apoplexia tactus reddidit." Polit. Instit. L. II. Tit. IX. §. 17. in Manuscripto.

Saeculo XVII. Franc. Forgách rerum Hungaric. sui temporis commentariis L. XVI. p. 406. ait. „Mandata exequebantur Comitatus scilicet Simeghiensis, Baraniensis, Tolnensis, Valpensis, et haec quidem Hungariae confinia ex provinciis Hungariae subiectis imperio supererant, ubi proximus ab Szigetho erat Dravi traiectus in Sclavonia: Caproncza et Zagrabia, oppida metu hostili pena desolata restabant. In Croatia Semlin-Sterismi, et arces Modrusia et Segniae oppidula, Carnioliae confinia atque propugnacula."

Petrus Révay de Monarchia et Sacra Corona Regni Hungariae A. 1659. in fol. Cent. VII. p. 148: Verucia aut Rascia extra et intra Savum, Sirmio, beatissimo sinui Hungariae, confinis et coniuncta, Istro finitima ad Bosniam protenditur."

Saeculo XVII. exeunte Martinus Szentiványi Miscell. Dec. II. P. I. p. 148. seq. „Sclavonia, inquit, a Septemtrione habet Hungariam et Dravum amnem interiectum; ab occasu Styriam, a meridie Croatiam, ab ortu Rasciam, in longitudine sua habet 20 milliaria, in latitudine 10. Dravum inter et Savum; dividitur in tres Comitatus: Crisiensem, Zagrabiensem, et Varasdinensem — Rascia prout Croatia, distincta a Sclavonia, ab occasu habet Sclavoniam, a Septemtrione Hungariam et Dravum fluvium, ab ortu confluentiam Savi in Danu-

bium, bonam Hungariae partem; a meridie Bosniam et Serviam, a quibus Savo amne separatur. Haec in longitudine habet 20 milliaria germanica et iuxta defluentiam Savi 23, in latitudine 12. Savum inter et Danubium. Continet similiter tres Comitatus: Verőcensem, Valponensem, et Sirmiensem."

Saeculo XVIII. In idea conscriptionis regni per Suam Maiestatem Caeo Regiam Carolum III. d. 27. Sept. A. 1714. ad ruminandum Diaetae transmissae, per SS. et OO. utriusque tabulae ruminatae, tractatae, ac per Suam Maiestatem acceptatae, Hungaria dispescitur in Circulos: transtibiscanum, partium R. H. superiorum: Cisdanubianum, Transdanubianum, et Transdravarum: Valkoensem, Poseganum, Sirmiensem, et Verőczensem. Et quidem in eodem Catastro post Bachiensem, circuli Cisdanubiani comitatum ultimum, immediate comitatus in circulo transdravano: Valkoniensis, Poseganus, Sirmiensis, et Verőczensis. Consonat repartitio quoque duorum millionum per Palatinum A. 1700. 18. Decembr. facta manuscripta, in Cymelio Bibliothecae Quinqueecclesiensis Episcopatus.

§. 37. In legum quoque regni articulis Hungaria ita disterminatur a Slavonia, ut quaestionati Comitatus priori adnumerentur:

A. 1445: 22. „demtis antiquis consvetudinibus Partis Transilvaniae ac regni Sclavoniae, nec non de Posega et Verőcze comitatibus; ubi in talibus servetur antiqua consvetudo." V. Sylloge Decretorum Comitialium p. 106. Hic comitatus Posega et Verőcze a Slavonia et Transilvania distingvuntur.

A. 1447. Ablegati ad Comitia Budensia Verőczensis quidem inter Beregiensem ac Jaurinensem,

post hunc Posegani et Sirmienses; Valkenses inter Abaujvariensem et Ungvariensem Comitatuum Hungaricorum nuncios; Slavonii vero distinctim post omnes Hungariae occurrunt: „Item de regno Slavoniae: Georgius filius Simonis, alter Georgius filius Iván, et Joannes filius Viti, Petrus de Fizesd, alter Petrus de Szenaraszt, et Georgius de Magalocz." Ita non absimiliter in subscriptis Diaetae A. 1474. art. Vide vestigia Comitiorum Suppl. T.I. p. 238.

A. 1478: 7. „quod infra quinque annos per omnes comitatus regni Hungariae congregationes generales, vel iudicia universalia in comitatibus fieri solita non celebrentur, demtis comitatibus Posega, Valko, Sirmiensi, Baranyensi" etc. Hic tres Comitatus quaestionati denuo Hungaricis accensentur §. 1. — Extant etiam Mathiae regis A. 1477. 21. Decembr. datae literae, quibus Comitatum Poseganum ad indicta Comitia Ablegatos mittere iubet, quod Slavoniorum a singulis comitatibus iuris ac moris haud fuit. V. Dipl. nro. XL.

A. 1498: 16: „regnicolae de triginta sex portis unum equitem bene armatum dent, demtis certis comitatibus partium inferiorum, videlicet Posega, Valko, Sirmiensi, Bach, Chongrad etc.

A. 1525: 55: Nobiles partium inferiorum, et signanter duodecim comitatus a Zeurino usque Posegam in suis libertatibus conserventur. 41: Comitatus partium inferiorum domi quidem manere possunt; certos tamen nuncios de eorum medio destinare tenentur. 42: De Sclavonia et Transilvania hoc idem intelligendum est, quod scilicet oratores duntaxat ipsorum mittant." — „Etsi autem Conventus Hatvaniensis per factionem Stephani Verbőtzy ac Michaëlis Zobii invito, quin vetante etiam

rege, celebratus sit et leges in eo conditae; anno insequente publico regni edicto abrogatae fuerint; nemo tamen propterea existimabit Verbőczyum, Hungariae Ulpianum, quid iuris hungarici fuerit, ex quibusue partibus regnum coaluerit, qua item ratione ab illo Slavonia diversa esset, ignorasse. Habemus igitur Poseganum, Sirmiensem et Valkoensem comitatus ad Slavoniam, pertinuisse." ait Pray Diatrib. p. 81—82.

A. 1699. quo vigore pacificationis Carloviczensis de partibus a Turcarum dominio reaquisitis actum fuerat, in Catastro regnicolari, concursu portarum, elaborato, ad circulum quintum regni Hungariae transdravanum adnumerati sunt conmitatus: Valko cum 40. Posega 20. Sirmiensis 41. Verőczensis 10.

A. 1712. in Comitiis regni SS. et OO. gravaminis instar postularunt eorum comitatuum, cum pluribus aliis, regno incorporationem; „Porro tam Maiestatis Vestrae Sacratissimae, quam regni utilitati congruum esse iudicarunt SS. et OO. demissa cum submissione detegere, quam grave et onerosum esset Posegiensi, Verőcziensi, Bacsiensi, Sirmiensi, Valkonensi, Csongradiensi, Csanadieni Aradiensi Bodrogiensi et Sirmiensi comitatibus, dum iam sub confinariae provisionis nomine, iam sub regiorum privilegiorum genti Rascianicae aliquando concessorum praetextu, amplissimi Districtus a publicis oneribus eximuntur, et separatim extra regni computum collocantur etc. necessaria eorumdem instauratio, et debita I n c o r p o r a t i o impeditur. Cum autem in medium comitatuum non contribuant, militem non interteneant et nec milites, nec subditi dici possint: supplicant SS. et OO. Maiestati Sacratissimae, ut p r a e m i s s i

Comitatus regno incorporentur, ac in consvetam comitatuum formam redigantur; ac tandem milites a subditis distingvantur, et ad supportanda quaevis regni onera compellantur, ad mentemque regni legum regulentur."

A. 171⅘: 92. subsecuta resolutio: „Petitam per SS. et OO. Comitatuum Posegiensis, Verőczensis, Sirmiensis, Valkoviensis, Csongradiensis etc. et Zeurinensis, ad sacram regni Coronam spectantium, fiendam reincorporationem, ferendisque communibus regni oneribus, ac tam iuridicis, quam politicis comitatuum quoque Marmaros etc. reapplicationem antiquo iuri innixam sua regia Maiestas agnoscit."

A. 1722. Status et OO. proiectorum inarticulandorum Nro 5. Eidem Maiestati substraverunt postulatum sequens." ad plenam unionem, tranquillitatem, ac publicam etiam utilitatem, imo regiae quoque Maiestatis praeeminentiam, SS. et Ordinum praerogativarum integritatem spectare, quatenus stante iam alma pace, non tantum comitatus, districtus, et terrena intra gremium regni adiacentia utpote Posegiensis, Veröcziensis, Sirmiensis, Valkoviensis, Themesiensis, iidemque in ferendis communibus regni oneribus, et tam in iuridicis quam politicis, una cum comitatibus Marmaros, Kraszna, Kővár, med. Zolnok, Zarand, Arad, Csanád, Csongrád etc. et aliis tractibus pro reapplicandis iam agnitis iuxta articulos 112. 113. 116. 118. A. 1715. cum officiis et dignitatibus ex toto reincorporentur, et per hoc praecitati articuli sine ulterioribus commissionibus effectuentur; sed etiam regna et provinciae, utpote Transilvania, Servia, Valachia, et alia hactenus recuperata et recuperanda, iuxta quod una cum regnis Croatiae, Dal-

matiae, Slavoniae a. S. regni Hungariae corona, regno vel Comite Palatino, conformitate Tituli 3-ii Partis III. artic. 6. 18. 1550. et Part I. 13. 16. P. II. 25. Alberti regis ab antiquo dependebant, eidem S. regni coronae subiacent."

A. 1723. dto 18. Febr. regia Maiestas praemissarum reapplicationum modum ac formam iussit sibi substerni; SS. et ordines vero remonstratione die 12. Martii submissa inter reapplicanda Comitatus etiam Sirmiensem, Poseganum, Valko, et Veröczensem urgent, specialiter puncto 51 dicentes: „Ad quintum de reincorporatione reincorporandorum art. 92. 1715. praescripta et recenter data benigna Suae Maiestatis Sacratissimae resolutione SS. et OO. regni partiumque adnexarum, contenti redditi, quae ut eo maiori facilitate, et sine ulteriori commissione, per condendum articulum effectuari valeat, et quali modo, quave forma, et quo fine reincorporanda veniant, eadem per Classes etiam in declaratione SS. et OO. regni, die 9. Nov. 1722. regiae Commissioni exhibita connotatas hic quoque specificarent: 1-ae Classis essent Comitatus, Districtus, terrena Posegensis, Veröczensis, Sirmiensis, Valconensis, Zeuriensis, Crassoviensis, Temesvariensis, et alii inibi et iisdem in locis siti indubie intra regnum Hungariae; — Lika vero et Corbavia in Croatiae gremio adiacentes, nondum tamen in formam comitatuum redacti, neque ordinario iuxta leges patrias Comitatibus competente Supremorum et Vicecomitum, aliorumque Officialium Magistratu provisi et restaurati haberentur, neque instar aliorum Comitatuum ad publicum, iuxtaque formam et modum in regno usitatum, contribuerent, ideoque ad hucdum separatim gubernati, modo et forma

praemissis reuniri supplicant. 2-ae Classis sunt Comitatus Marmaros, Kraszna, Kővár, med. Zolnok, et Zaránd, qui aeque in regno Hungariae adiacerent etc. 3-ae Classis sunt nonnulla loca in gremio praemissorum comitatuum, adeoque intra regni limites, et respective quasi in meditullio, eiusdem indubie adiacentia, militaria et cameralia dicta, et potiori in comitatibus Bacsiensi etc. 5-ae Classis sunt regna et provinciae: Transilvania, Servia, Valachia, et alia recuperata, quae etiam ex dictamine legum a S. R. Hungariae Corona dependebant, eidem S. regni Hungariae coronae adinstar regnorum Croatiae, Dalmatiae, et Slavoniae redintegrentur." — Horum in nexu conditus fuit articulus Diaetalis Anni 1723. Nro 20: „Siquidem Sacratissima C. et R. Maiestas tam de eorum, quae ab olim ad regnum Hungariae spectabant; quam etiam in meditullio regni existentium militarium et Cameraticorum locorum iuxta articulum 92: 1715. fienda reincorporatione, stante adhuc praesenti Diaeta eum inituram se esse modum clementissime resolvisset; ut SS. et OO. regiam benignitatem et Clementiam in hoc quoque petito experiri valeant, cuius siquidem benignae Resolutionis propter temporis brevitatem et necessariarum dispositionum non effectuationem participes reddi nequivissent; ideo Eidem Maiestati SSae humillime supplicant, ut praecitatus articulus quantocyus effectuetur, et praemissa Cameralia ac militaria loca instar aliorum contribuentium locorum pariter contributioni et Comitatuum iurisdictioni proportionato onere indilate sebiiciantur."

A. 1728. SS. et OO. comitialiter congregati remonstratione 30. Julii substrata eandem remonstrationem repetitim urserunt: „Facta ad Clemen-

tem Maiestatis Vestrae SSae resolutionem reflexione, humillime in eo supplicant SS. et OO. quatenus, in quantum comitatus in art. 92: 1715. specificati sive in toto, sive in parte nondum reincorporati haberentur, eosdem reincorporare dignetur.“ Ad quam Supplicationem Eadem Maiestas rescripsit

A. 1729 XXII. Junii: „Sua Maiestas benigne resolvit, se in conformitate art. 92: 1715. et 20. 1723. in materia reincorporationis comitatuum eum inituram esse modum, ut SS. et OO. regiam benignitatem et clementiam in hoc quoque petito experiantur:“ E resolutione hac conceptus fuit articulus VII. in hunc modum: „Ad humillimam SS. et OO. diaetaliter congregatorum intuitu reincorporationis Comitatuum in partibus existentium, et de facto in Contributionalibus Hungariae, in aliis vero Transilvaniae iurisdictioni subiectorum, instantiam SSa. et R. Maiestas clementer resolvere est dignata, ut ordinata iam eo fine Aulica Commissio proxime reassumatur et terminetur. Respectu aliorum porro Districtuum, priori bello Turcico recuperatorum, prout et sic dictorum militarium at cameralium locorum, in conformitate articulorum 92. 1715. eum se inituram esse modum, ut SS. et OO. regiam benignitatem et clementiam in hoc quoque petito experiri valeant.“

A. denique 1741. 18. sancitum: „publicis etiam constitutionibus regni inserendum resolvit benigne SSma R. Maiestas §. 1. Quod Transilvaniam, veluti ad sacram regni Hungariae coronam pertinentem, tam eadem, quam successores sui, qua reges Hungariae, possidebunt et gubernabunt. §. 2. Quod Comitatus Kraszna, med. Szolnok, Districtum Kővár, et comitatum Zágránd. ex toto vel parte resi-

dua reincorporabit. §. 3. Ut porro loca etiam militaria dicta in Bacsiensi, Bodroghiensi, Csongrád, Aradiensi, Csanadiensi, et Zagrabiensi comitatibus sita iurisdirtioni regni et Comitatuum restituantur et subiiciantur; atque districtus Tömösiensis, Sirmiensis et inferioris Sclavoniae, ut primum res in magis tranquillum repositae fuerint, regno pari modo reincorporentur, et eiusdem iurisdictioni submittantur. Commissarii eum in finem per S. R. Maiestatem ordinabuntur. §. 4. 5. Qui in praeattactis Tömösiensi, Sirmiensi, et inferioris Sclavoniae districtibus, nec non aliis partibus limitaneis terrenum pro regulandis confiniis aptum et sufficiens designabunt, confinariisque ad habitandum, et obeunda ibidem munia ita assignabunt, ut in finibus non permixti aliis contribuentibus subsistant, atque terreno hoc, modalitate praevia, exciso et assignato, residuum iurisdictioni comitatuum in omnibus plane subiicient. §. 6. Suaque regia Maiestas comitatibus regni in partibus illis sitis, Supremos Comites praeficere dignabitur.“ Art. 50. sancitum: „Illud, quod formalitate supra in articulo 18 denotata in inferiori Sclavoniá iurisdictioni sacrae Coronae reincorporabitur; iurisdictioni regni et Bani clementer annuente S. R. Maiestate iuxta etiam art. 118. 1715. subordinabitur, ac una quoque Supremi Comites (in quantum denominati non essent) per Suam S. R. Maiestatem pro tenore etiam suprascripti art. 18. constituentur.“

§. 42. Num aliquis Comitatus regno Hungariae, vel Principatui Transilvaniae, aut Banatui Sclavoniae, subiectus a primordio fuerit, manifestissimo est argumento iurisdictio per Palatinum ac Judicem Curiae Regiae pro Hungaria; per Vajvodam

pro Transilvania, ac per Banum in Sclavonia, ordinarie in illis exercita. Ita Comitatus Kraszna, med. Zolnok, Zaránd, Kewe, ad Hungariam pertinuisse inde constat, quia ius ordinarium per regni Palatinum ac Judicem Curiae ibidem administratum, novimus. Si ergo idem Palatinus ac Judex Curiae Regiae in Comitatibus quoque Verőcze, Posega, Valpo ac Szerem iurisdictione functus est ordinaria; eosdem regno Hungariae subordinatos fuisse, nullus dubio prudenti relinquetur locus. Atqui id certum esse, probatur e codice Hungariae Diplomatico omnibus patente:

§. 43. Quod attinet comitatum Posega, praesto sunt Comitis Alexandri Curiae regiae Judicis literae a Carolo H. R. A. 1324, II. Idus Julii confirmatae, quibus is terram Thurgusa, possessionis Bezenicze in comitatu Posega existentis portionem, Jacobo filio Bartholomaei, una cum Baronibus ac nobilibus regni forma ordinaria adiudicat. Cod. Dipl. T. VIII. Vol. II. p. 618—21. Summa illarum est: Carolus Dei gratia Hungariae etc. rex. Omnibus etc. Cum a nobis petitur etc. Eapropter ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod Jacobus, filius Bartholomaei, ad nostram accedens praesentiam exhibuit nobis literas Comitis Alexandri, Judicis Curiae nostrae, datas de quadam terra Thurgusa vocata, prout in tenore literarum earumdem plenius continetur; supplicans nobis humiliter, ut easdem in regali auditorio nostro revidere, approbatasque praesentibus inserendo ratas habere, et nostro dignaremur privilegio confirmare. — Nos Comes Alexander, Judex Curiae Excellentis ac Magnifici Principis, Domini Caroli, Dei gr. inclyti Regis Hungariae, memoriae commendantes tenore praesen-

tium, quibus expedit, significamus universis : quod cum regia benignitas quandam possessionem Bezenicze vocatam, in comitatu Posega existentem, per Magistrum Cruciferorum, Magistro Dominico titulo praediali collatam, Magistris Thomae et Demetrio, filiis Kupse, Vice Comitibus de Posoga, mediantibus suis literis, praenominato Magistro Dominico cum omni plenitudine sui iuris, et quantitate statuere praecepisset, et dum dicti filii Kupse regium exequentes mandatum, ipsam possessionem Bezeniche eidem Magistro Dominico statuere voluissent, Jacobus filius Bartholomaei, a statutione cuiusdam particulae ipsius possessionis, Turgusa vocatae, exceptae ab eadem, nomine sui iuris eosdem prohibuisset, quibus praefati filii Kupse octavas festi Nativitatis B. Joannis Baptistae pro termino in regia praesentia comparendi per literas eorundem assignassent (sequitur processus iuris, exhibitio documentorum. in specie trium parium privilegiorum honorabilis Capituli de Posega) Nos igitur ex tenore tantorum evidentium instrumentorum, quorum unum ad tantae particulae terrae conservationem satis efficax esse dignosceretur: supradicto Jacobo, filio Bartholomaei, de iure agnoscentes pertinere, una cum Baronibus et Nobilibus regni, eo iure et ea quantitate et sub ipsarum metarum distinctionibus, quibus vigore praeallegatorum instrumentorum invenimus eidem Jacobo attinere, ipsi et suis haeredibus, haeredumque suorum successoribus iudiciaria authoritate adiudicamus perpetuo possidendam, tenendam, habendam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Vissegrád octavo die termini

praenotati. Anno Domini Millesimo, trecentesimo, vigesimo quinto. L. S. p. Nos etc. praenotatam iudiciariam sententiam datam de terra Turgusa supra dicta cum omnibus suis clausulis approbamus, ratificamus, acceptamus, et praesentis scripti patrocinio perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam etc. Datum Secundo Idus Julii Anno Domini MCCCXXV. regni autem nostri anno similiter XXV. etc.

2. Comitatus Verőcze: Nicolaus Palatinus exactionem tributi Eszekiensis in foro, et portubus Danubii ac Dravi, inter Abbatem de Czikador ac familiam de Korogh controversam ordinaverat A. 1353. Literas huius transumsit Ladislaus de Gara Palatinus A. 1454. Cod. Dipl. Tom. IX. Vol. II. p. 271. Sensus earundem: „Nos Ladislaus de Gara regni Hungariae Palatinus et Judex Cumanorum memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit, universis. Quod Albertus de Lukafalva, pro venerabili ac religioso Domino Emerico, Abbate Monasterii de Eszek, sive de Czikador, cum procuratoriis literis Conventus Pechvaradiensis iuxta continentiam literarum nostrarum procurator. in octavis festi Beati Michaëlis Archangeli proxime praeteritis, in figura nostri iudicii comparendo, contra Magnificum Dominum Joannem de Korogh, Banum Machoviensem, et Gasparum filium eiusdem, proposuerat eo modo: Quod licet totale tributum, seu telonium tam in terris quam in aquis, singulis diebus in possessione Ezek exigi consvetum, Ecclesiam B. M. Virginis de dicta Ezek, et per hoc Abbatem dicti Monasterii certis literis Dominorum regum Hungariae concernat, et semper ad possessionem eiusdem monasterii de Ezek, Kuny vocatam, pertinuit;

tamen praefatus Joannes Banus de Korogh et Gaspar filius eiusdem post ipsius disturbii proxime sedati tempus, dictum tributum ab ipso Monasterio, et praedicto Emerico Abbate occupassent, et quantum vellent homines ipsius Domino Abbati darent de eodem potentia mediante, in praeiudicium iuris dicti Monasterii, et damnum eiusdem Domini Abbatis valde magnum; et haec sic sita fuisse, exhibitionibus trium literarum inquisitoriarum — — nobis ad amicabiles nostras petitiones rescriptarum comprobasset. Ibidem in huius declarationem, ut dictum tributum seu telonium annotato Monasterio de Ezek, et per consequens Abbati et Conventui eiusdem Monasterii pertineat, tres literas nobis demonstrarat, quarum prima condam Petri Cheh de Leva et Stephani de Ujlak, Banorum Machoviensium; secunda vero earundem condam Domini Nicolai Palatini Budae secunda die festi B. Nicolai Confessoris in anno Domini Millesimo, trecentesimo, quadragesimo primo patenter emanata declarat: Quod religiosus frater Thomas, Abbas de Czikador, pro se personaliter, pro Conventu loci eiusdem Nicolaus Plebanus de Ezek, cum procuratoriis literis eiusdem ab una, item Magister Philpe et Ladislaus filii Philpes de Korogh similiter personaliter parte ex altera, coram dicto Domino nostro Palatino constituti confessi fuissent, quod ipsi in causa, quam praefati Abbas et Conventus contra ipsos filios Philpes et Korogh in facto possessionis Kuny, ac duabus partibus tributi portus fluvii Dravae et Thelonii in possessione Ezek exigi consveti, coram Comite Thoma Judice Curiae nostrae regiae movere intendissent, per compositionem proborum virorum taliter concordassent: quod in octavis medii quadragesimae tunc

venturis partes praelibatae praesentibus hominibus dicti Domini Palatini, pro utrisque partibus literis in eisdem nominatis, ac testimoniis Conventus Pechvarad, ad faciem dictae possessionis Kuny, vicinis et commetaneis convocatis accederent, et eandem praesentibus eisdem vicinis et commetaneis, ac aliis probis viris, per partes illic adductis iuxta continentiam literarum privilegialium dicti fratris Thomae Abbatis et Conventus reambularent, per suas veras metas et antiquas, novas metas, ubi antiquae abditae essent, iuxta veteres per ordinationem dictorum proborum per partes illic adducendorum, ubi necesse fuisset erigendo; quibus reambulatis, et sub dictis cursibus metarum iuxta continentiam dictarum literarum privilegialium praelibatorum fratris Thomae Abbatis, ab aliorum possessionibus distingvendo et separando, iidem filii Magistri Philipus de Korogh eandem possessionem Kuny vocatam cum duabus partibus tributi portus fluvii Dravae et Thelonii in praefata possessione Ezek exigi consveti, eidem fratri Thomae Abbati et suo conventui iuxta continentiam literarum privilegialium dictae Ecclesiae B. Virginis de Czikador, sub poena et obligatione quinquaginta marcarum sine iudicis portione, ante litis ingressum deponendarum perpetuo remittere et resignare deberent et tenerentur. Tertia siquidem earundem consimiliter eiusdem Domini Palatini, similiter Budae, feria sexta proxima ante Dominicam Invocavit, in anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio (V. Cod. Dipl. T. IX. Vol. II. 271. sequitur processus iuris). Quibus exhibitis praefatus procurator dicti Domini Abbatis, eidem D. Abbati ex parte dicti Joannis Bani et Caspar filii eiusdem per nos in praemissis Judi-

cium praeberi postularet etc. etc. Idcirco nos ipsam restitutionem ratam, gratam, et acceptam habentes, easdem duas partes praescriptorum tributorum fori in dicta possessione Ezek et portus fluvii Dravae ibidem existentis in die fori et aliis diebus intra septimanam a mercatoribus ement. et vendentibus et ab aliis cuiusvis Status et conditionis hominibus, causa fori in ipsam possessionem Ezek venientibus, a quibus congruit, exigendum, absque tributo viae, relinquimus et committimus annotato Domino Abbati et Monasterio de Czikador, iure eis ex praemissis incumbente, perpetuo possidendum, tenendum, et habendum authoritate nostra iudiciaria mediante, salvo iure alieno. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes concessimus eidem Domino Abbati et Suae Ecclesiae literas nostras privilegiales pendentis et authentici Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Budae praedicta quadragesima die octavarum festi beati Georgii Martyris praenotatarum. Anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto supradicto." Originales in Archivo Exc. Camerae.

3. Comitatus Valpo: Comes Jacobus de Scepus, Iudex Curiae regiae, post longam litem quartam possessionum Pachyntha et Liget-Pachynta, Comitatus Valpo, partem Ioanni, filio Simonis de Gara, abiudicat A. 1377: „Nos Comes Jacobus de Scepus, Iudex Curiae ragiae, et universarum Civitatum Serenissimi ac Magnifici Principis, Domini Ludovici, Dei gratia inclyti regis Hungariae, Poloniae, ac Dalmatiae etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: quod Jonnnes filius Simonis de S. Salvatore pro se personaliter, ac pro Dionysio

et Paulo fratribus uterinis, cum procuratoriis literis nostris et Capituli Ecclesiae Bosnensis, in octavis festi B. Jacobi Apostoli, in anno Domini MCCCLXXV. praeteritis, iuxta continentiam literarum ipsius Capituli Bosnensis evocatoriarum simplicium, ad nostram venientes praesentiam, contra Joannem, filium Mich. de Gara, quasdam duas literas, unam dicti Capituli evocatoriam, et aliam nostram iudicialem in diversis terminis, in anno tunc praeterito confectas, asserens suam et dictorum fratrum suorum actionem adversus dictum Joannem filium Mich. proponendam literis in eisdem contineri, nobis praesentaverat, declarantes inter cetera, quod cum M. Paulus de Liszkov ob contradictionem et inhibitionem quarumdam possessionum Pachynta et Liget-Pachinta vocatarum, in Valkov existentium, per praefatum Dominum nostrum Regem nomine sui iuris regalis sibi perpetuo collatarum, Joannem filium Mich. de Pachinta legitimae citationis modum observando, regiam in praesentiam attraxisset etc, Quibus literis exhibitis -- pro eo una cum Praelatis, Baronibus, et regni Proceribus nobiscum in iudicio sedentibus, praemissam quartam partem dictarum posssessionum sub praemissarum metarum vallo dictis filiis Simonis statutam eisdem et eorum haeredibus universis cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis, reliquis tribus suis partibus annotato Joanni, filio Michaëlis, et aliis, quibus congruet, perpetuo relictis, reliquimus et commisimus in perpetuum possidere, tenere, pariter et habere, salvis iuribus alienis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras privilegiales pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas dictis filiis Simo-

nis duximus concedendas. Datum in Wisegrad XXIV die octavarum festi B. Georgii Martyris praedictarum. A. Domini MCCCLXXVII. supra dicto." Cod. Dipl. T. IX. Vol. V. p. 210. seq.

4. Comitatus Sirmiensis: postquam tres viciniores interamnenses comitatus ordinariae Palatinorum, ac Curiae Regiae Judicum, non vero Banorum, iurisdictioni subiectos fuisse constat; Sirmiensem, eidem pariter obnoxium fuisse, compendii gratia, inferri legitime potest; cuius utpote gravissimum argumentum est Banatus Sirmiensis a Mathia Corvino erectus, ac perinde Sclavoniae dictus. Si Provincia Sirmiensis in Banatu Slavoniae fuisset, in ea novus Slavoniae Banatus erigi haud debuisset nec potuisset.

Sat sit unicum attigisse Diploma: „Nos Nicolaus, Banus de Machou, Comes Syrmiensis, Bachyensis, de Volkou, de Budrug, et de Baranya, et per Excellentissi- Principem Dominum Carolum, Dei gratia illustrem regem Hungariae, Index in eisdem, in persona sua regia et Palatini (non Bani) deputatus — in Villa Wolkowar — in qua etiam iura palatinalia (non Banalia) iudicabamus — Datum in Sancto Demetrio vicesimo secundo die festi omnium Sanctorum prenotato. Anno Domini Millesimo trecentesimo octavo. Cod. Dipl. Tomo VIII. Vol. V. p. 253. sqq.— Comitatus quaestionatos quatuor, ante de partibus inferioribus Hungariae dictos, in partibus regni Sclavoniae compellatos dici, ac Castrum Verőcze regno Slavoniae accenseri, comperimus, articulo solum Diaetae, A. 1445. celebratae, quarto his verbis: „In partibus tamen regni Slavoniae, penes fluvium Zawa, Drawa, ac Posega fortalicia propter metum Turcorum facta, si quae ex eis deponi debeant, relinquantur voluntati Nobilium partium earundem deponenda. — Exceptis quinque Castris, videlicet Werencze, Emerici, filii Waywodae de Marcellis (Marczali) in regno Slavoniae etc. Suppl. Vestig. Comit. Kovachich Sylloge tomo I. p. 98.

§. 44. Post hanc etiam Banatuum ac nominum confusionem comitatus quaestionatos a provinciis Slavoniae ac Croatiaé distinctos nihilominus fuisse,' modus, quo in Diplomatibus appellari solent, satis demonstrat: hi nempe addito: in Slavonia; illi vero, sine nota hac, ut ceteri Hungariae comitatus, absolute tantum, nominantur; ita etiam castra, urbes eorundem. — Documenta utriusque carptim haec sunt diplomatica:

Mathias Corvinus: Joanni Thuz de Lak Dalm. Croat. ac Slavoniae Bano Joannem Comitem Zagoriae, in Banatu Sclavoniae, adiungit, docentibus Ecclesiae Zagrab. literis. Enumerat Mokricza, Brešecz etc. arces et districtus aliunde ad regnum Slavoniae pertinentes, et in comitatibus regni Slvoniae existentes. Ibidem A. 1477. Mandat Comitatui Chrisiensi, ut ad comitia per Banos regnorum Slavoniae ac Croatiae indicenda comparere debeat etc. Cf. Kerchelich Not. Prael, p. 290:

Wladislaus II. R. H. specialiter constituit, ut Georgio de Zenthe bona confiscata in Slavonia, Comitatu Zagrabiensi, possessa remittantur A. 1500. Ut octavae Chrisium indictae in Slavonia, pro festo Epiphaniae, dum ob mortalitatem seu contagium celebrari nequeunt, differantur, factis autem evocationibus locus detur in futuris comitiis etc. Ibid.

Ludovicus II. Petro Kechlevich, Jaiczae servatae merito, bona in Slavonia confert, in comitatibus Zagrabiensi, Crisiensi et Varasdinensi designata. V. Dipl. nro XXX. XXXI. Petro Krusyth Capitaneo Segniensi bona Laurentii Uylakii, defectu seminis ad se devoluta, in specie Castrum Bersewcze vocatum in comitatu Chrisiensi in Slavoniâ confert A. 1517.

Ferdinandus I. Castrum suum et civitatem Varasdinensem in regno Slavoniae, in eodem Comitatu Varasd existentem, fideli suo, et Magnifico condam Stephano de Bathor regni Hungariae Palatino et Locumtenenti pro fidelibus servitiis, et Illustri Dominae Sophiae Duci Massoviae, consorti eiusdem, donat. A. 1531. Generoso et Magnifico Joanni Kaczianer, Baroni in Kacznstein et Flednech, Consiliario ac Capitaneo suo generali, castra Zomzedwára et Stubycza in regno suo Sclavoniae comitatu Zagrab. confert. A. 1537. Arcem Prioratus Auranae, Gara vocatam, in comitatu Zagrabiensi regni Sclavniae, existentem Michaeli Zluvnyi de Frangepanibus oppignoratam, relinquit A. 1534. Castrum Selyn in comitatu Zagrab. regni Slavoniae per defectum seminis ac mortem Mag. condam de Deeshaza confert. A. 1537. Castrum vero Medvevár, et castella Rokonok, ac Lukawecz in dicto regno suo Slavoniae comitatus Zagrab M. Ludovico Pewkry de Petrowyna, Capitaneo ac Consiliario suo donat A. 1537. V. Diplomata numeris. XXXII—IV.

Ex adverso comitatus Verőcze, Posega, Valpo, ac Szerem in diplomatibus nunquam ponuntur in Slavonia, sed sicut alii hungarici, absolute, commemorantur:

Mathias Corvin. Nobiles comitatuum de Verőcze, Valko, Posega, et Szerem ad comitia evocat. Dipl. nro LII. et LIII.

Vladislaus II. Nobiles Walkoenses ad insurgendum contra excessivos Cruciatos sollicitat — Eszekinum facultate cudendae pecuniae in subsidium munimenti Petri varad. donat. V. Dipl. nro XXX.

Ludovicus II. Petrivaradino, Comitatus Szerem, providet. Eius arbiter Joannes Berizlo, regni Ra-

sciae Despota, Petrivaradini pacem inter A. episcopum Coloczensem ac Banum Belgradensem conficit A. 1516.

Ferdinandus I. Arcem et castrum Verőcze cum honore comitatus Sp. ac. Mag. Joanni Comiti Corbaviae, Dalmatiae, Croatiae, ac Slavoniae Bano, confert. A. 1527. Comitatus de Walko honorem viro Egregio Georgio Banfi de Thalovicz confert. A. 1527. Jus regium in totali castro Gradisca cum honore Comitatus Posega donat A. 1535. — Nullibi est hic additum — in Slavonia. Quin Leopoldus quoque hanc distinctionem observavit V. Diplomata nro. XXXV. LII. LIII.

§. 45. Ex his patere mihi videtur quaestionatos comitatus, praeprimis Verőczensem provinciam, arbitrio regis Mathiae, banatui Sclavoniae obnoxios quidem aeuo suo factos fuisse; ast nihilominus partes mansisse regni Hungariae integrantes: quemadmodum, tametsi comitatus quoque Zala, Simegh, Baranya, etc. eidem fuerint subordinati non semel; constituerant tamen Hungariae partes integrantes. Sed et Slavoniae comitatus fuerant diu Banatui Dalmatiae ac Croatiae subordinati, eo tamen non obstante manserant partes Slavoniae propriae. Comitatus Verőcze, Posega, et Szerem sunt primum stricte regno ac banatui Slavoniae incorporati A. 1743, vigore artic. 50. Comitiorum Anni 1741. per eotum Comitem, postea Principem Carolum de Battyán, Croatiae, Dalmatiae, ac Slavoniae Banum. Distinctae conditionis suae vestigium retinent, more hungarico, non in dimidio cum Croatis et Slavoniis, contribuendo, ac nunciorum propriorum ad Diaetam, cum iure sessionis, submissione art. 23: 1751. postliminio revindicata. — Superat, ut et unius Croatae, quod est ad limites primaevos regni Hungariae versus Croatas

animadversiones, tum Scriptoris anonymi fundamenta, queis Comitatus Veröczė, Posega, et Szerem semper ad regnum ac banatum Slavoniae pertinuisse, contendit, in examen vocemus.

§. 46. Hoc in examine pro eodem ingenuo veritatis, quo ipse unus e Croatis gloriatur, amore, eundem per vestigia sequemur 1) Geographica 2) Historica 3) Diplomatica 4) Politica lustrabimus compendio, quo fieri potest maximo, sententiam aequis Lectoribus dicendam relicturi.

## I. Geographica.

§. 47. „Incipit: sic citatum contra Croatas Constantini Por. caput 42-um in haec verba: Habitant trans Danubium flumen Turcae in terra Moraviae atque etiam ulterius inter Danubium et Sabam fluvios facilius intelligetur, si insuper etiam totus textus, sicut ibidem legitur adductus fuerit. Habetur enim ibidem ad rem quaestionatam de verbo ad verbum ita: A Thessalonica usque ad Danubium fluvium, in quo urbs Belgrada, octo dierum iter est, si quis non festinanter, sed interquiescens proficiscatur. Et habitant quidem trans Danubium flumen Turcae in terra Moravia, atque etiam ulterius intra Danubium et Savum fluvios.“ Adeoque terra, quam Constantinus nomine Moraviae insignit, debuit esse trans Danubium, et opposita Belgrado. Debuit Savus fluvius esse ultra magnam Moraviam atque trans Danubium respectu Belgradae ac Thessalonicae, ubi Augustus Author scripsit. Debuit ergo limes Hungariae versus Croatas ad meridiem esse, qui fuit ad orientem.“ p. 5.

§. 48. Ad errores hos Logicos ac Geographicos, primordio statim, quis non exhorrescat? — 1) Terra, quam Constantinus nomine Moraviae, ab Hungaris obsessae designat, erat trans Danubium, Belgrado opposita, utpote per oras cis Danubianas exporrecta, omnino; sequiturne hinc Hungaros etiam ulterius, intra Danubium et Savum fluvios, dominatos haud fuisse? Quod laudatus testis expressis indicat verbis: „Habitant quidem trans Danubium flumen Turcae in terra Moraviae, atque etiam ulterius intra Danubium et Sabam fluvios."

2) Ex eo quod Augustus Author scripserit Thessalonicae; Belgradum fuerit urbs ad Danubium flumen; sequiturne Savam fluvium esse ultra magnam Moraviam atque trans Danubium? „Habitant et ulterius intra Danubium et Sabam fluvios," ait Constantinus. Adverbium: ulterius tantumdem ac superius, aut trans, neutiquam est.

§. 49. „Debuit limes Hungariae versus Croatas ad meridiem idem esse, qui fuit versus Bulgaros; dicit enim Porphyrogenitus cap. 40. Hungariam a Bulgaria ad pontem Traiani Istro separatam fuisse. Ponit etiam initium Turciae, seu Hungariae, ad pontem Traiani. Ad eundem fluminis cursum ponit Belgradam et Sirmium, vel alia quoque monumenta ad initia Turciae. Adeoque sicut cis pontem Traiani respectu Thessalonicae Turcarum sedes non fuit, sic neque cis Belgradum et Sirmium. — Sirmium ubi nunc est Zeugmium seu Zemlinum."

§. 50. Prosecutio argumenti nihilo solidior:

1) Licet urgere: ex eo, quod Hungariae adortum initia ad pontem Traiani; quod Hungari a Bulga-

ris Istro separati fuerint; sequiturne limitem Hungariae etiam ad meridiem versus Croatas, Danubium fuisse? Sequiturne usque Sirmium dominatos haud fuisse?! Eodem Constantino repetitim affirmante: „Tunc temporis (quum Narses Longobardos evocaret in Italiam) Longobardi Pannoniam incolebant, ubi nunc Turcorum sedes est." Cap. 27. „Ad illam Danubii partem — Abares tunc (A. Ch. 549) commorabantur, ubi hodie Turci degunt nomadum instar viventes cap. 30. Atqui Longobardi et Abares etiam ultra Danubium, usque Sirmium, intra Davum et Savum dominati, ignorante nemine.

2) Sirmium ibi, ubi nunc Zemlinum ponere, gravissimus et multiplex error est: Sirmium, urbem olim celeberrimam, in Pannonia Savica, ad Bacuncii et Savi confluentiam stetisse, testatur palam Plinius his verbis: „Alter amnis Bacuntius in Savum Sirmio oppido influit." Hist. Nat. l. III. c. 25. „Civitas est Sirmium, quam utraque parte flumen adluit in Istrum semet exonerans" ait Zozimus l. II. Scilitzas et Cedrenus Sirmium ad praeteriens flumen, seu profluentem ibi amnem, situm scribunt. Edit. reg. p. 17. L. XVII. nro IX. p. 227. Bryennius Sirmium cum aliis, quae circa Saviam amnem sunt, oppidis coniungit, folio 95. Rudera ad Mitrovicz visuntur, teste Marsiglii descriptione Danubii. Plura dabit Salagi Ecclesiae Pannonicae Lib. III. c. 7. Zemlinum ex adverso, ad Savi in Danubium influxum, aquilonem versus, Tauruni veteris locum, occupat. V. Plin. l. c. III. 25. Itinerarium Antonini 231. 241. Sirmium Belgrada abest duorum dierum itinere ait Constantinus P. l. c. an Zemlinum duorum dierum itinere Belgrado dissitum?

§. 51. „Quid quod Pannoniae proprie dictae limes semper Danubius fuerit a Septemtrione. Et Sventibaldus Pannoniam nequidem ingressus fuisse sciatur. Quomodo dici posset, Turcas, qui Sventopluci regionem occupasse dicuntur, Pannoniam plane Saviam iure eorum occupasse? — Ipse Anonymus Belae Notarius regionem Svatopluci ad Moravam, utramque Vagi ripam, et eam solum partem Pannoniae, quae ad Septemtrionem vergit, seu Aquilonarem, ponit. Adeoque Sabas Constant. Porphyrogeniti fluvius ultra has regiones esse debet. Et sic forte erit Sazaua ille fluvius in Bohemia, qui duobus milliaribus supra Pragam ad Moldavam se exostiat; quod ex veteribus Geographis nemo Savum appellaverit Sabam — aut, si Anonymi expositio stat, erit Sala in comitatu Castriferrei prodiens, et comitatui Saladiensi nomen tribuens fluvius, aut demum Sabarius vel Savarius, aut Mura." p. 8—9.

§. 52. Etiamsi Pannoniae limes semper Danubius ad Septemtrionem fuerit, etiamsi Sventibaldus Pannoniam ingressus non fuisset; sequiturne inde, Hungaros etiam ulterius, inter Danubium ac Savum, nequaquam habitasse? — Hungaros Pannoniam iure Sventibaldi occupasse, quisnam dixit? Terras ii iure armorum quaesierant: „Ex hodierna die Te (Almum) Ducem et praeceptorem eligimus; et quo fortuna tua Te duxerit, illuc sequimur." Ita Anonymus cap. V. Quod Sventibaldo concessum neutiquam fuit, ut Pannoniam Saviam ingressus sit, Hungarorum virtuti patebat: „Et habitant etiam ulterius, inter Danubium et Savam fluvios" clamat Constantinus l. c.

2) Sabam Constantini esse Savam, is tantum ignorat, qui non novit, B. Graecis latinum V va-

lere: inde Latinorum Avares illis Abares. Sabam Constantini esse S a t z a u am Bohemiae, Hungarosque duobus supra Pragam milliaribus habitasse, ecquis somniavit? S z a l a nomen provinciae uni tribuens, aut S a v a r i u s (Gyöngyös) ad Sabariam oppidum praeterfluens, aut Mura, prope Dravum, amnes sunt exiles, nullius apud Geographos nominis; an provincias a fluviis ignobilibus designare consvetum?

3) Etiamsi nullus Geographorum e veteribus compellasset Savum nomine Sabae, non licuit ideo Constantino, iuxta hungaricum Szava, dicere Sabam iure meliori, quam Bryennio Sagiam? Constantinum P. a classica veterum nomenclatione multis abludere, Belegradae nomen, quod repetit, satis indicat; urbs illa veteribus fuit Sigindunum (Σιγινδουνον) Ptolomaeo; Singendonum Jornandi; Singidunum Itinerario Antonini; Singindunon (Σιγγενδουνον) Procopio de aedif. Urbs. in Moesia superiori ad ripam dextram Istri intra Taurunum et montem Aureum. Serioribus vero temporibus Alba Graeca, item Alba Bulgariae. — Si nihilominus per Sagiam Bryenni Savum intelligit adversarius, cur per Sabam Constantini non percipit eundem? Si in nomine Belegradae non adhaeret, cur in Saba tricatur? nisi quod Constantinus Hungaros intra Danubium etiam et Savum agitasse sit confessus! Graevius in Not. ad Justini Historias Philipp. edit. Lugdun. Batav. 1701. in 8. p. 501. „Sabi fluvius, inquit, Straboni Σάυσ est, et Plinio Savo. Sabi pro Savi frequenti temporum illorum Scriptione. Ita habemus in Glossis: bacca pro vacca; berbex pro vervex; bicissim pro vicissim, et id genus alia.“ Hoffman Lexici universalis edit. Basil. 1687 in fol. tom. II. p. 315: „Savo, Savus Ptol. Solin. S a b u s. Trogo.“

§. 53. „Quid quod Porphyrogenitus de Savo hic loci nec cogitare potuerit; ex quo nec Dravi mentionem iniiciat, quamvis alios intercurrentes fluvios nominaverit. Toti errori circa Sabam fluvium videtur originem dedisse Mappa imperii orientalis, ex opere Constantini P. descriptione ideali a Guilelmo del Isle desumta; ubi Sabas Savo substituitur." p. 9.

§. 54. Argumentum istud frivolum est multi mode:

1) Dravi nec oportuit meminisse scriptorem Augustum: terras enim per Hungaros insessas initio a ponte Traiani sumto, per amnes interfluentes, per Moraviam magnam, usque iuga Carpati, ac per trans Danubium, et ulterius intra Danubium et Savum, ita circumscripsit, quo melius fieri non potest. Quidquid Pannoniarum est, intra Danubium et Savum continetur. Quemadmodum superflue iniecisset mensionem Vagi, Grani, ac ceterorum, postquam Moraviam magnam dixit; ita redundasset non minus, terrâ inter Danubium et Savum dicta, Dravi fluvii commemoratio.

2) Idealis tantum Imperii orientalis descriptio Auctori Guillelmo del Isle iniuriosa est: cum Sabam et Savam fluvium eundem esse, nullus, qui Graecum sapit, ignoret. Est hoc extremum unius e Croatis effugium Geographicum. Verba Porphyrogenetae uni tantum e Croatis sunt ambigua: „Sensus verborum est: Turcas (Magyaros) habitare Belgrado vicinos in terra Moraviae, ast non modo trans Danubium, videlicet e regione Belgradi, verum etiam mox supra Belgradum inter Danubium et Savum, in provincia Sirmiensi, unde magnam Moraviam incipere iam Capite 10. Porphyrogeni-

tus dicebat.“ Ita Schönwisner Antiq. et Hist. Sabar. L. II. C. XV. p. 82—3.

## II. Historica.

§. 55. „Cum itaque Constantini Sabas nullatenus Savus esse possit, prono alveo fluit, ex citato 42. capite Hungaros, ante annum 949. dum idem Imperator opus suum scripsit, inferiorem Slavoniam habuisse, demonstrari non tantum non posse; ut potius ex eiusdem Porphyrogeniti Cap. 29. 30. contrarium doceri valeat. Etenim idem iis capitibus Turcarum sedes trans et usque Danubium presse designat, dum dicit: ibidem hos degere, ad illam Danubii partem, ubi Avares tunc commorabantur, et ubi contra hos Dalmatae quotannis Salona venientes excubias egerunt. Atqui Avares ex parte Croatiae trans Danubium eotum habitabant, ut ex contextu totius narrationis eruitur.“ p. 9.

§. 56. Alveo, ex quo idem unus e Croatis Sabam Constantini cum Savo fluvio eundem haud esse, derivare contendit, satis, ut speramus, obstructo; num ex Historia, Hungaros Pannonia inferiori potitos haud fuisse, demonstretur, videamus:

1) Citatus Constantinus ait in haec verba „De Dalmatia scire cupientibus, quomodo a Sclavicis nationibus capta fuerit, hinc discere licet. — A Sclavis capta fuit hoc modo: congregabantur quotannis ex reliquis Dalmatiae urbibus equites et mittebantur Salona usque mille ad flumen Danubium (Savum), ut ibi excubias agerent contra Abares. Ad illam enim Danubii partem Abares tunc commorabantur, ubi hodie

Turcae degunt nomadum instar viventes." Constantinus C. 30. p. 93—5. Citato proin Constantini loco per Avares intelligendos esse Slavos, docet tum thema ipsum „Dalmatia a Slavis capta fuit hoc modo" tum temporis consignatio, „Ex quo hoc factum est, anni sunt D. in hanc usque diem indictione septima Anno (Mundi) 6457. (Christi) 449. quo tempore adhuc Huni usque 454, sub rege Attila Pannoniae dominabantur. Quemadmodum etiam Joan. Gotth. Stritterus Memoriae populorum Tom. II. p. I. p. 20. ait: „Slavos ex mente Constantini certe intelligi, superiora docent." Haec unus e Croatis historica professus ignorare non debebat.

2) Sed sit: Constantini testimonio ibi habitasse Hungaros, ubi olim Avares degebant; atqui hi locorum etiam intra Danubium et Savum potiebantur: „Tiberius imperator potius esse duxit urbis (Sirmii) deditionem facere, quam civium multitudinem in captivitatem et servitutem cum urbis amissione abduci sinere; itaque per literas iussit Theognidem bellum conventionibus solvere." Ita Menander exc. leg. p. 175. „Avares, Hunni origine, urbe longe amplissima potiti, ad Mauritium Augustum legatos miserunt. Erat urbi huic nomen Sirmium, famaque et sermone propter nobilitatem a Romanis Europaeis celebrabatur, quam prius ceperant parvo admodum spatio, quam Mauritius curas Rom. una cum purpura indueret." Theophilactus L. I. C. 3. p. 12. Imo in Dalmatia etiam ipsa sunt dominati: „Una generatio e Croatis, qui tunc ultra Bagibaream habitabant, una cum suis populis discedens ab ipsis in Dalmatiam venit; ubi Abares incolas invenerunt." Si primaevi Hungari ibi, ubi Avaros, habitaverant;

Avares vero et in Sauia, et in Dalmatia incoluerant, pleno fluit alveo, ut ipsius Croatae stilo utar, Hungaros iuxta Constantini testimonium, trans Danubium et ulterius etiam intra Danubium et Savum habitasse.

§. 57. „Paucis interiectis continuat idem Porphyrogenitus: Per aliquot autem annos etiam Dalmatiam incolentes Chrobati Francis subiiciebantur, quemadmodum et antea, dum in ipsorum terra degerent, et post septem annorum bellum aegre tandem superiores facti, omnes Francos, eorumque Principem Cotzilim, e medio sustulerunt. Et exinde liberi ac sui iuris facti sunt. — A Zentina autem fluvio Chrobatia incipit, extenditurque versus mare ad Istriae usque confinia, sive Albunum urbem, versus montem, aliquatenus etiam supra Istriae thema excurrit." Eosdem etiam fines regni Croatiae Archidiaconus Spalatensis ad annum 970 apud Lucium hisce verbis describit: „Habebant namque (reges Croatiae) ex successione suae originis Patrum et Proavorum dominium regni Dalmatiae et Croatiae. Itaque regni eorum confinia: ab oriente Delmina, ubi fuit civitas Delmis. Ab occidente Carinthia versus mare, usque oppidum Stridonis, quod nunc est confinium Dalmatiae et Istriae. Ab aquilone vero a ripa Danubii usque ad mare Dalmaticum cum tota Maronia et Culmiae ducatu." — Hi ergo limites erant Croatiae Seculo decimo, et hoc non recenter, et non tunc primo prolati, sed iam pridem ex successione suae originis Patrum et Proavorum, quorum aetas certo excurrit in adventum Hungarorum; seculo proin decimo Hungari inferiorem Slavoniam non habebant. Sed nec ex post ante tempora S. Ladislai, quod hoc nullo authentico, et tempori congruo monimento evinci possit."

§. 58. Complura sunt hanc in rem animadvertenda:

1) Historicus noster ignorat libertatem, qua gloriatur Croatarum, non ad Croatas Dalmatinos, vel Slavonios, Saeculi IX pertinere; coniungitur enim cum Baptismo suscepto: „et inde liberi ac sui iuris facti, sacrum Baptisma a Romano Pontifice petierunt; missique episcopi ipsos baptisarunt principatum tenente Porino." Constant. l. c. Cap. 50. p. 95. Accidit autem id imperante Heraclio circa annum 641. „Heraclius Imperator Roma per legatum, Sacerdotibus accersitis constitutisque ex ipsis A. Episcopo et episcopo, praesbyteris et diaconis, Chorbatos baptisavit. Erat tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps Porga." l. c. Chrobati autem ac Slavonii nostrates, Saeculis pene quatuor serius nacti sunt Episcopum Tinniniensem proprium. Ii, qui Cotzelino peremto in libertatem semet asseruerint (?) quia Cotzelinus, Privinae filius fuerat, saeculo IX. Slavi inter Dravum et Zala fluvios degentes fuerint, Francorum fiduciarii. Neutrum proin seu Croatarum seu Slavoniorum libertatis ineunte Saeculo X. est argumentum.

2) Non advertit etiam, praeter Dalmatinos, fuisse alios Croatas, illis neutiquam subiectos, de quibus ita testatur Porphyrogenitus: „Ast a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quaedam secessit, et Illyricum atque Pannoniam Saviam occupavit; habebantque etiam ipsi Principem Supremum, qui ad Chrobatiae Principem tantum amicitiae ergo legationem mittebat." Cap. 30. De his est in praesentibus disputandum: num ii inter Danubium et Savum agitantes, non fuerint iuris hungarici? His potiri poterant ac potiti sunt Hungari

Constantini testimonio, etiamsi Chroatis Dalmatinis non sint dominati. Sed nec Croatarum Dalmatinorum libertas erat diuturna et absoluta: „At simul ac Basilius Macedo rerum potitus est, Croatae sponte sub Romanorum redierunt imperium; et qui ex ipsis nondum Christo nomen dederant, missis a Basilio Sacerdotibus baptisati sunt.“ Constant. l. c. Cap. 29. p. 87—88. „Subacta Bulgaria Imperatori Basilio se dedidit etiam contermina Chrobatorum gens.“ Cedrenus Tom. II. p. 717. Zonoras T. II. p. 217. En fucum libertatis Croaticae! Saeculo decimo et temporibus ante S. Ladislaum actis.

3) Constantinus limites Croatiae usque Dravum ignorat, quin negat quoque; nam enumeratis eiusdem undecim Zupaniis ab Unna ac Zentina fluviis versus mare ad Istriae usque confinia, et versus montana taliter extendit, ut regione Serbliae concludat: „ac versus Zentina et Chlebana Serbliae regionem attingit. — Serblia ad Septemtrionem quidem Chrobatiae contermina est.“ Cap. 30. p. 95. Haec contra fidem historicam idem Históricus exmisit.

4) Thomae Archidiaconi Spalatensis, utut a rebus gestis saeculis tribus serioris, nullove coaevo teste nixi, dum ad annum 970. limites Croatiae usque Dravum protendit, testimonium nolim carpere: cum cladibus, quas tum a Germanis, tum etiam a Graecis sunt Hungari perpessi, limites Regni necesse fuerit arctari; lubensque concedo, Protoregem Stephanum in Croatiam, ac Savum inter et Dravum, occid. postquam Dioecesium a se fixarum limites ibidem ultra Dravum haud extenderit, dominatum haud fuisse: ast eadem ne pugnat ratio, quod est ad partes orientales? cuius utpote par-

tem Quinqueecclesiensi, alteram Bacsiensi, attribuit? An episcopis suis parochias in alieno territorio assignavit? Assignavisse vero ab amne Almás in Dravum fluente, e literis episcopo Quinqueecclesiensi datis ubertim constat. Hungaros proin sub Arpado et Zoltano Pannoniam Saviam orientalem non habuisse, nec serius, ante tempora S. Ladislai, Scriptoris Croatae praematurus est triumphus.

§. 59. „Superpondium his omnibus addit Andreas II. rex Hungariae, qui in confirmatione privilegiorum Quinqueecclesiensis episcopatus expresse negat ante tempus S. Ladislai Hungaros has regiones ingressos fuisse; dum ita ibidem ait: „Quoniam ultra Dravae fluvium limes seu terminus Quinqueecclesiensis Ecclesiae necdum fuit stabilitus, cum S. rex Ladislaus primus transiverit Dravae fluvium, et partes sibi Slavonicas regno primum occupavit adiecto, ubi sedem fundavit episcopalem videlicet Zagrabiensem.“ — Unde nullo labore videtur omnem illam, quae trans Dravum est ex parte Hungariae, regionem alieni iuris prius, et limitem intra Hungariam et Croatiam Dravum fuisse.“ p. 12.

§. 60. Ast e laudati Andreani Diplomatis tenore omnem Sauicam regionem, ante S. Ladislaum, iuris alieni fuisse, ac Dravum inter Hungariam et Croatiam constituisse limitem, nequaquam ita certum, ut eidem Scriptori Croatae videtur. Multa ei fidem derogant:

1) Repugnant plura Diplomata antiquiora: Protorex Stephanus Episcopatum Quinqueecclesiensem ordinans et confirmans, quartum eius terminum sic constituit: „Quartum, ut dicitur, Kvarok sicut incipiens a Danubio super Zavum fluvium terminatur. Datum decmo Kalend.

Septembris, Indictione septima, anno incarnationis Domini Millesimo nono." Consentit diploma, quo S. Ladislaus fines Dioeceseos Quinqueecclesiensis ad normam constitutionis S. Stephani Regis restituit: „aquae ductus, qui Kwarok dicitur, cum ceteris priori privilegio (Stephaneo) insertis scilicet Zemogni, Boĕrdy, Almady. — Anno Dominice incarnationis millesimo nonagesimo tertio etc. Kwarok ipsissimum limitem esse, qui diplomate Stephaneo quarto loco describitur, extra controversiam est: Atqui Kwarok rivus est, qui oritur in radice montis ad latus monasterii graeciritus Kuvesdin dicti trans Danubium, unde meridiem versus defluens Savo miscetur, ac pleraque loca, quae Saeculo XIV. Quinqueecclesiensis fuerant Dioeceseos, includit. Is a Danubio seu parte Septemtrionali, quam Danubius alluit, fluit in meridiem; hoc itaque sensu incipit a Danubio. Neque sive hic rivus, sive alius aquae ductus incipere secus a ripa Danubii, et in Savum duci potest; quia media inter Danubium ac Savum catena montium obstat. Idem rivus ab occasu pagi Lesimir intra Bingula et Mangyalos defluens intra Martize et Kuzminze Savum attingit, et per lineam imaginariam ab origine cum ripa Danubii inter Szuszek et Bánostor in Slavonia inferiore coniungitur. Quia Protorex terminum Episcopatus hungarici alienam in ditionem dilatare haud potuit; totam Pannoniam Saviam iuris alieni fuisse ac Dravum Hungariae limitem ante S. Ladislai tempora constituisse, fallit. Alterum Monumentum est Rado Palatini testamentum ab Andrea I. rege ac fratre huius, duce Adalberto, anno 1057. confirmatum. In hoc Rado Palatinus ait: „Ecclesiam autem quam supra Dravum fluvium in honore S. Michaelis Archangeli

aedificavi, et hanc S. Petro (Quinqueecclesiensi) ac praefato episcopo Mauro commendavi, ut inde semper in promtu presbiterum habeat." Quo loco Ecclesiam S. Michaelis intra Dravum et Savum flumina positam, quae in Archidiaconatu de Oziagh, seu Eszekiensi, censebatur, intelligi, omnino constat. — Rursum alibi: „Rogavi etiam, ait, gratiam Dominorum meorum gloriosissimi Andreae regis et optimi ducis Adalberti, ego Rado Palatinus, ut monasterium meum S. Demetrii s u p e r *Z* a v u m fluvium, quod multis bellicis laboribus, c u m t o- t a p r o v i n c i a i l l a, sancte corone rectificavi et iterum acquisivi, quia illud monasterium est in provincia S. Petri Quinqueecclesiensi, sicut in spiritualibus, ita etiam temporale dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod Patronatum vocant, dedi etiam Sancto Petro Quinqueecclesiensi et Patri nostro Episcopo Mauro." Hic ergo manifeste testatur monasterium aliquod ad Savum situm in parochia, id est Dioecesi Qqecl. fuisse, et regionem ipsam Dravo et Savo comprehensam, ad Hungariam iure spectasse, eamque perditam aliquado ab se recuperatam. Quod clarissimum est, hungarici Dravum inter et Savum ante S. Ladislai tempora dominatus argumentum.

2) Repugnant diversorum Historicorum testimonia: Belae notarius l. c. Cap. 42—3 perhibet: „Bulgariae Duce ad Albam Bulgariae victo — secundo die dux Bulgariae misit nuncios suos cum diversis donis ad Lelu et Bulsun, atque Botond, et deprecatus eos, ut paci faverent, et insuper mandavit, quod partem Salani Ducis avunculi sui non foveret, sed Arpado duci fideliter serviret, et annuale vectigal persolveret. Illi vero paci faventes, proprium Ducis filium in pignus accipientes, cum

multis bonis rebus Bulgariae discesserunt. Deinde egressi usque ad portam Vazil iverunt, et ex hinc egressi terram Racy subiugaverunt, et ducem eius captum diu ferro ligatum tenuerunt. Hinc vero egressi usque ad mare pervenerunt, et omnes nationes illius patriae dominatui Arpad, ducis Hungarorum, potenter et pacifice subiugarunt, et civitatem Spaletensem ceperunt et totam Croatiam sibi subiugaverunt, et inde egressi filium nobilium in obsides acceperunt, et in Hungariam reversi sunt ad Ducem Arpad — Bulsun, Lelu, et Botond e Graecia egressi, silvam, quae vocatur Peturgor, descendentes iuxta fluvium Culpe castra metati sunt, et transito illo fluvio usque ad fluvium Zava pervenerunt, et transito Zava castrum Zagrab ceperunt, et hinc equitantes castrum Posega, et Castrum Vlkou ceperunt. Et hinc egressi, Danubium in portu Graeco transnavigantes, in curiam Ducis Arpád pervenerunt."

Joannes Archidiaconus de Guerche expeditionis a Bela Duce ac Rado Palatino contra Slavonios susceptae sic meminit: „Andreas Rex stabilito sibi regno de recuperandis regni iuribus sollicitus Radum Palatinum et Belam fratrem suum, Ducem Sclavoniae constituit. Isti regem Croatiae coarctarunt, et Sclavoniam ad veteres limites Zettinae reduxerunt." Apud Kerch. Notit. Praelim. p. 102. Item: Dum Sanctum totius Pannoniae regem cum exercitu petiisset Conradus imperator, Croatiae rex Crescimirus Sanctum Stephanum adiuvit. In huius rei remunerationem, dum A. MXXXI. Conradus cum Stephano per Ambasciatores, Henrico adiuvante, pacisceretur, pars haec Sclavoniae, quae regni erat Hungariae (nam prius a decennio Diogeni, Duci Sirmiensi, parebat) a Culpae ad Sa-

vum influentiam, per fluvium Trebes et campum luteum, sive Czernicz, ad Dravum usque regi Croatiae cessit." p. 101.

And. Dandulus: „Andreas interim Hungariae rex Dalmatinos continue infestans aliquos tandem ad deditionem coegit" Apud Muratorium Script. rer. Ital. T. XII. p. 239. „Salamon illius successor — Carentanis ad propria repulsis — Terrestria ingressus, Jaderam a Venetorum potestate eripit." T. XII. p. 244.

Cinnamus: „Ladislaus (Sanctus) Sirmium a Graecis recipit, multisque trans Istranis urbibus expugnatis, Neusum, ad Moravam amnem, antiquum veteris Hungariae ortum versus limitem, pervenit." Lib. V. c. XII.

Constantinus Porphyr: „Et habitant quidem trans Danubium flumen Turcae in terra Moraviae, atque etiam ulterius inter Danubium et Savum." l. c. cap. 42.

Zonaras: „Indictione octava A. 1040 Bulgari ab imperio Graecorum defecerunt, hac occasione: Petrus quidam Bulgarus, cognomento Delanus, Bulgariam pervagando, usque ad Moravam et Belgradas pervenit, quae sunt castella Panoniae trans Istrum sita, Turcicae vicina ditioni *φρουρια-γει τονοντα τω Κραλη τουρκιας*" T. II. p. 240. Consonat etiam Cedrenus l. c. p. 246.

Chronographus Virdunensis: Belgrada in confinio Bulgarorum et Hungarorum: Apud. Pagi ad A. 1041.

3) „Nec aliam esse causam existimo, inquit R. Katona (Hist. Crit. Duc. p. 345) cur Hungari, cum arma victricia late per Germaniam, Italiam, Graeciam circumferrent, ab his Slavis Croatisque semper abstinuerint; quam quod hos suis alioquin

iuribus obnoxios habuerint. Hanc etiam causam fuisse puto, cur Murcimirus, qui Croatiae sub id tempus, quo Hungaros eam subiugasse Anonymus scribit, praefuerat, epocham Franciae regum, quod ab eius patre Tirpimiro factum est, suo diplomati non praeposuerit; quod eorum iugo per Hungaros exutus, his deinde subiectus fuerit. Attritis autem per cladem Augustanam Hungarorum viribus A. Ch. 955. videntur Croatae mediterranei, maritimique se Graecis subiecisse: constat enim Dircislaum regis titulum usurpasse iam anno 994. suoque diplomati Graecorum Imp. nomina praefixisse A. 1000. Luc. Lib. II. c. 8. p. m. 127. Prioris igitur subiectionis ratione Hungariae limites Anonymus usque Spalatum extendit, Porphyrogenitus autem Chrobatos ad meridiem confines iisdem facit; quia scilicet eos tantum limites, intra quos isti Turci, non illis subiecti populi, continebandescripsit. — Quare „S. Ladislaus Dravum fluvium transiit, et partes ibi Sclavonicas regno primum occupavit adiecto" de remotioribus et magis ad occidentem vergentibus Pannoniae Saviae partibus intelligendus est, quae Croatiae regibus antea paruerant. „Occupavit, inquit, Thomas Archidiaconus (Hist. Salon c. XVII.) totam terram a Dravo fluvio usque Alpes, quae dicuntur ferreae, nullo obice resistente. Posthac transivit Alpes, et coepit impugnare maritimas regiones et castra, multaque proelia committere cum gentibus Croatiae, nec tamen usque ad maritimas regiones pervenit, quas postea Colomannus subegit."

§. 61. „Huic coronato Principi, ac publico documento per neminem, quantum constat, impugnato, plus fidei tribuendum, quam Anonymo Belae regis notario — certe negari nequit Chrono-

logiae erroneo ordine, quae longe tardius acciderant, priori regimini adscripsisse etiam non frequenter, acquod tribuendum fuisset Belochrobatis, aut aliis Slavis, populis Pannonicis et Dalmaticis Croatis attribuisse. Quod attinet RR. Kerchelich: is fundamentum erroris in suo opere ipse recognoscit: quod in Archivis Croaticis, quae sibi patuerunt, scripta Slavonica non repererit; — ideo per complures iure castigatur cum suo etiam Archidiacono de Guerche."

§. 62. Quae et quanta sit Diplomatis Andream fide dignitas exploravimus: ea ac tanta, qualis est Scriptorum aevi serioris respectu coaevorum, aut supparium authoritas. Ab Hungariae limitibus fixis, tribus saeculis serius, Constantini coaevi testimonio, Stephaneo item ac Andreano diplomatibus, cedat est necessc.

2) Belae regis Notarii, cum exteris testibus ac rebus gestis consentientis, testimonium, quale est hoc de Hungariae versus meridiem limitibus sonans, nullam patitur exceptionem. Errores suosmet appingit ei scriptor Croata: an non enim ipse, quod Slavorum fuit, Avaribus adscripsit? §. 17. n. 1, 2. An non iterum quod a Croatis Pannonicis actum, mediterraneis Dalmatinis attribuit? ibi nro 2. An non limites, quos eadem Croatia A. 970. nacta fuit, ad Saec. X-i primordia retulit? Ibid. n. 4. etc. Ut graves et multiplices ipsius geographicos errores, non commemorem.

3) RR. Balthasar Kerchelich is fuit, cui ob lucem rebus Croaticis affusam, diplomata et manuscripta usus publici facta, idem unus e Croatis, nullo diplomate, nullo documento producto, iis etiam, quae claruerant, obscuratis etc. merito assurgat. Joannes Archidiaconus de Guerche Saec. XIV. ineuntis Scriptor, quantum noscimus, testis

est ipsa vetustate commendatus, utut erroris haud expers, cuius privilegium Scriptorum nemini est concessum, uni vero e Croatis omnium minime.

## III. Diplomatica.

§. 63. „Omnes coniecturae circa imperium Ungarorum in Pannonia Savia ante tempora Ladislaiana ad meras Szklenarianas umbras eo tutius referri possunt, quod citata actionalis dissertationis monimenta, Diploma S. Stephani, quoad Episcopatum Quinqueecclesiensem, et praetensa Radonis Palatini donatio, fori contradictorii probam prorsus non sustineant. Etenim fundationalis episcopatus Quinqueecclesiensis, vel potius, cum hae non existant, citatae reambulatoriae, et limitum defixoriae, pro quarum defensione RR. D. Josephus Koller tanta conscripsit, ut sua celebritate eruditissimos etiam in errorem induxerit, sive stilus earum, seu recurrentes in eis res, seu forma externa, et aliae temporum circumstantiae considerentur, facile supposititiae esse eo certius advertentur, quod per publice proscriptum Fr. Raphaëlem Lewakovich primum evulgatae sciantur, et indubie etiam procusae reputentur.“ p. 13—4.

§. 64. En forum contradictorium unius Mabillonii, Muratorii, Leibnitzii, Hormeyerii, vel alterius Gigantis diplomatarii, auctoritate apertum! Quanta, verbis paucis, Diplomatis Stephanei, ac Radonis Palatini pericula? Sed miseret me praeprimis RR. Josephi Koller, cui parem, seu studia, seu opera spectes, Saecula ferent; cui Tabularium Vaticanum patuit, qui omnem rerum domesticarum vetustatem lectione amplissima lucri fecit, celebritatis, qua etiam eruditissimos — uno e

Croatis excepto — in errorem induxerit, damnari! An etiam quavis celebritate eruditissimi omnes — praeter unum — in errorem queunt induci? „Veritas quippe una simplex, constansque est; error multiplex ac mutabilis: illa, quae aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper eodem modo videntur, ficta esse dicimus.“ Advertit Cicero Leg. nro 17.

2) Displicet mihi, quod idem Diplomata discrimen inter literas fundationales, reambulatorias, ac Episcopatûs constitutionales, ignoret: Fundationales erant Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae, — sine tamen reambulatione; reambulatoriae fuerant Abbati de Zobor concessae; Episcopatus constitutivae sunt Gerhardo Pragensium Episcopo datae; huius pares sunt hae Protoregis Stephani pro Episcopo Quinqueecclesiensi editae: „In nomine sancte trinitatis et individue unitatis Stephanus Hungarie rex. Noverint omnes fideles nostri presentes scilicet et futuri, qualiter nos cum consensu Sanctissimi Apostolici, et in presentia eius nuncii, Azonis et aliorum omnium nostrorum fidelium Episcoporum, Marchyonum, Comitum, nec non minorum quoque personarum, erectionem Episcopatus, qui vocabitur Quinqueecclesiensis, statuimus in honore dei et omnium sanctorum Boniperto ibi episcopo facto, privilegiis, terminisque ordinavimus et confirmavimus: Primum terminum Zemogny viculum usque ad Thapeon vicum proferimus, secundum Ozora, donec perveniatur ad aliam aquam, quae Lupa nuncupatur; tertium Kopos usque ad Almas aquam. Quartum, ut dicitur, Kwarok, sicut incipiens a Danubio super Zavum fluvium terminatur. Et ut haec nostra ingenuitas auctoritatis stabilis et inconvulsa permaneat, hanc Chartam inde conscriptam sigilli nostri

impressione insigniri iussimus. — (Sigillum Stephani regis Hungariae) — quos terminos si quis violare presumserit. In posterum componat centum libras auri optimi, medium Camare nostre, ac medium prefato Episcopatui ac rectori eius. Et ut plus divine Ire occursum paveat, sciat se a Deo patre et filio, et Spiritu Sancto, et gloriosa dei genitrice maria, et a S. Petro Apostolo, in cuius honore supra memoratus constructus est episcopatus, perpetuo anathemati damnandum, et ante tribunal Christi rationem redditurum. Datum decimo Kalendas Septembris indictione septima. Anno incarnationis domini Millesimo nono, pio Stephano regnante Anno nono actum in civitate Jauryana." An hae donationales? An reambulàtoriae??

3) Diploma hoc publice proscripto (??) Fr. Raphaëli Levakovich deberi, publicum unius e Croatis commentum est. Postquam RR. Koller palam protestatur: „Diplomatis huius exemplum, quale a Fr. Raphaële Levakovich acceperat, primus evulgavit Inchofferus An. Eccl. p 290. — Recensio nostra prae ista maior est, fontis, unde eam hausimus, auctoritate commendata. — Mea ex authographo Simigiensi continetur." Hist. Epp. Quinqueeccles. T. I. p. 62. Authographum vero A. 1404 transumtum in Archivo Camerae Regiae Hung. Aulicae conditur. En fidem Diplomatici unius e Croatis!

§. 65. „Ponitur enim ab initio statim in his: Fpiscopatum Quinqueecclesiensem conditum esse (ita prosequitur) in honorem Dei et omnium Sanctorum, in fine autem in honorem S. Petri Apostoli. Nullus Cancellarius, nullus scribens Notarius, sed nec testis ibidem continetur. In aliis genuinis S. Stephani diplomatibus, uti S. Martini, et

Ecclesiae Weszprimiensis, occurrit formula manu propria roborantis, quod hic deest. Prout et Monogramma, ipsa etiam ea formula, qua imprimendi sigilli iussus continetur in aliis diplomatibus, diversa. Occurrunt ibidem nomina nova: uti nuncii Apostolici, ubi in aliis genuinis illius Saeculi, teste Lucio p. 86. 96. Apochrisarii vocabantur. Ita quoque occurrit datum in civitate Jauriana, quod nomen novum pro initio Saeculi undecimi semper manebit penes Godefredi Schwartzii per Koller institutas refutationes. Ita etiam circa nomina et Episcopatum nominati ibidem Nuncii Apostolici hodiedum actu certatur." p. 14.

§. 66. Sed 1) Ecclesias primitus in honorem Dei et omnium Sanctorum erectas in genere, et alicui Sanctorum dicatas in specie, fuisse, nemo Diplomaticorum ignorat (V. Dipl. nro 1) quare idem et hic factum est. Literis patentibus, quales sunt praemissae, nullum Cancellarium, nullumve Notarium subscribi solitum, non absimiliter novit quilibet. Literis Ecclesiae Veszprimiensis, quas Diplomaticus Croata genuinas agnoscit, an Cancellarius vel Notarius subscriptus?

2) Formula: manu propria roborantis etiam in diplomate S. Martini deest. Tum: signum Stephani regis Hungariae" an non est monogramma? Quomodo ergo ausus est dicere illud deesse? Jussionis sigilli imprimendi formula in Diplomatibus variat. Quis haec ignorat? Desuntne etiam testes? „In praesentia nuncii Apostolici, Azonis Episcopi, et aliorum omnium nostrorum fidelium Episcoporum, Marchionum etc. Quae rursum fides diplomatica.!!

5) Pontificum romanorum fuit: domi habere Apochrisiarios, ad principes ablegare nun-

eios Apostolicos. Quoad nuncii et Episcopi Azonis nomen et sedem etiam omnia plana sunt: „Verba Maroni sunt ista: Petrum (secutus est) Tiberius, ut ex diplomate Joannis XVIII. A. 1005. pro Monasterio SS. Cosmae et Damiani ad micam auream; Tiberio subiiciendus est Actius, sive Azzo huius nominis II. de quo nulla apud Ugellium, Lucentium, Colettum, Ninardum de Riccio, mentio. Debemus Episcopum hunc viris Clar. D. Abbati Joanni Benedicto Mittarellio, et D. Anselmo Costadonio, qui in opere praeclarissimo Annalium Camaldulensium eum in lucem e tenebris eduxerant, occasione cuiusdam diplomatis a Benedicto VIII. summo pontifice concesso Roderico, sive Bonizzoni Abbati Burgensi, quod quidem datum dicitur per manus Azonis, Episcopi Sanctae ostiensis Ecclesiae, et Bibliothecarii Sanctae Apostolicae Sedis, Deo propitio, Pontificatus Domini Benedicti summi Pontificis et universalis, Octavi Papae, in sacratissima Sede B. Petri, secundo in mense Decembris, Indictione XII. (An. 1013).“ Hinc: quis de nomine et Sede nuncii Apostolici Azzonis certat, nisi unus e Croatis?

4) Urbis Jaurianae nomen Saeculo iam XI obtinuisse, testis est Aloldus de Peklar ad A. 1044. „Henricus . . in Ungariam penetrans, apud Rabam fluvium, apud Jaurenk penitus debellavit Ovonem.“ Apud Hanthallerum, in Fastis Campilil. T. I. p. 1283. Exilem differentiam in examine authographorum haud obesse diplomatum authentiae, haec lex a Mabillonio sapienter constituta docet: „Unum et alterum defectum, modo essentialis non sit, legitimis authographis obesse non debere.“ De Re Dipl. L. III. C. VI.

§. 67. „Quid quod Croatenses Episcopi, quo-

rum iurisdictio ad Dravum usque extendebatur, teste Thoma Archidiacono Spalatensi Cap. IV. Hist. Salonit. et pluribus diplomatibus apud Lucium productis, et in specie Stephani Bani, Constantino Monacho Graecis imperante, extradato. Item Crescimiri 1059. 1066. 1069. Suinimiri autem 1078. In quibus omnibus subscriptiones episcoporum Croatensium clare videntur. — Sufficit illud adferre, quod Episcopis Zagrabiensi et Bosnensi circa iurisdictionem quoad Sclavonicas partes acriter inter se pugnantibus, Episcopi Quinqueecclesienses nec se moverint; dum autem ipsis etiam incidisset se ratione decimarum Sclavonicarum movere, iidem causam suam authore Judice, et authoritate regia 1720. perdiderint." p. 14.

§. 68. Croatensis Episcopi iurisdictionem ad Dravum, subin extensam, nemo negat; RR. Kollerius omnium minime: „Qua in quaestione, inquit, etsi pro certo habemus Chrobatos usque ad Dravum semet extendisse, illud tamen observamus, eos, quos praecipuos huius rei testes adduximus, non etiam totum id, quod Dravum inter et Savum regionis est, ad Chrobatorum dominatum pertinuisse, asserere; deinde ea monumenta, quorum auctoritas idonea est ad persvadendum, Hungaros quoque a Dravo ad Savum imperasse, non tamen contra, quam iuxta illos testes, locamus. Haec inter primum est, cuius causam agimus: S. Regis Diploma, in quo, cum limes Dioecesis Quinqueecclesiensis a Danubio ad Savum producatur, simul intelligitur limitem istum coarctatum, et per hoc ditionem Hungarorum trans Dravum positam fuisse." p. 47—8. l. c.

2) Cur oportuisset Episcopum Quinqueecclesiensem liti Praesulum Bosnensis et Zagrabiensis

semet ingerere, postquam iurisdictio illius in districtu trans Dravano impetita haud fuit, eaque hodiedum viget. Dum illa trans Dravum per Colocensem Episcopum arctata fuit, an non se ingessit? V. Cod. Dipl. ad A. 1093. Jus decimarum extensioni Dioeceseos affixum nequaquam fuit, sed donatione regia pendebat: ut exemplo Veszprimiensis Episcopi patet. Si litem ratione decimarum Sclavoniarum perdiderant Episcopi Bosnenis ac Quinquecclesiensis, factum hoc citra iniuriam, ac salva iurisdictionis ultra Dravum extensione.

§. 69. „Et cui credibile est, quod martiales Hungari ditionem suam intra Savum et Dravum ita arcte conclusissent, ut nec ultra Posegam versus occidentem, nec ad Danubium versus orientem eandem porrexissent? Et qua occasione porrexissent in desideratam Provinciam? Et qua pace retinuissent? Katonaianae eatenus dilucidationes, quibus nec ipse Author credere videtur, admodum violentae sunt.“ etc.

§. 70. His 1) Diplomaticus Croata falsa supponit complura: An martiales Hungari ditionem suam ultra Savum et Dravum non extenderant, quum: Transactis quibusdam diebus Zuard et Cadusa cum omni exercitu suo, elevatis vexillis signiferis aquam Danubii transnavigaverant et castrum Borons ceperunt, deinde ad castrum Scereducy iverunt; audientes autem hoc cives Bulgarorum et Macedonum timuerunt valde a facie eorum. Tum omnes incolae eius terrae miserunt nuncios suos cum donariis multis, ut terram suam sibi subiugarent, et filios suos in obsides darent. Zuard et Cadusa paci faventes et dona, obsides eorum accipientes, eos quasi suum populum in pace dimiserunt etc.“ Belae regis Notarius l. c. cap.

XLV. An non extenderant etiam ultra Posegam versus occidentem, et ad Danubium versus orientem, dum Bulsuu, Lelu, et Botond egressi silvam, quae dicitur Peturgor, descendentes — iuxta fluvium Culpa castra metati sunt, et castrum Zagrab ceperunt, et hinc equitantes castrum Posega et castrum Wlcov ceperunt." Idem cap. XLIII. An non extenderunt versus Danubium, postquam Colocensis Sedis Episcopus Desiderius in quadam parte ad aquaeductum, qui Kworok dicitur, in Pannonia inferiori, terminum Episcopi Quinquecclesiensis invaserat? — Occasionem etiam qua? dare possumus: Salano duce ultra Danubium fugato; Bulgariae duce ad Belgradum victo. Idem cap. XLII— II. Pacem, qua retinuerint, daturi, quamprimum unus idem e Croatis dederit illam, qua Slavi et Avares Dalmatiam retinuerant.

2) RR. Stephanum Katona, historiae Scriptorem Criticum, ludificari quis aegre non ferat? Dioecesim ille Bacsiensem trans etiam Danubium per provinciam Sirmiensem exporrectam fuisse, non testimonio solum Hartvici, qui protoregem episcopatibus singulis amplisissimos limites constituisse testatur, talis autem Bacsiensis secus haud fuisset; sed etiam testimonio Cinnami dicentis (edit. Ven. p. 101.) „Manuel superiori e parte Istrum transiens, ad civitatem nomine Pagatzi pervenit. Est vero illa Sirmiensis agri metropolis. Hic habitat gentis istius Antistes" comprobat. Non est dubium Bacsium in Pagatzi detorto latere. Quum igitur eo teste Metropolita, qui hic habitaverat, etiam Sirmiensem in agrum suam iurisdictionem extenderit; signum est Sirmium in potestate Hungarorum fuisse." Hist. Duc. T. I. p. 349—350. Et constat alioquin Sirmiensem e Dioecesi Colocensi,

Bacsiensi unita excisum fuisse: is ergo ad hanc pertinuerit tempore, quo erecta a Protorege fuit, est necesse. Vide Sirmiensis excisionem in Cod. Dipl. T. III. V. I. sub Gregorio IX P. et Ugrino Archiepiscopo.

§. 71. „Non absimilem sortem subit allegata donatio Radonis Palatini, quae multis domesticis Scriptoribus capita confudit. Occurrit enim in ea statim illa gravior contradictio, quod uxor Lucia ab initio inducatur, quasi mortua: ut si ipsa supervixisset, huius facti testis apud Deum et homines exstitisset. Et in fine quasi adhuc viveret: „Omnes vero alias possessiones meas divisi orphanis cognatis meis cum Lucia uxore mea, ut quamdiu illa supervixerit, interim de illis vivat, et post mortem suam remaneant orphanis nostris.“ Et in Benignis Confirmatoriis: „Ideo Rado Palatino a nobis cum sua uxore petentibus.“

§. 72. Donatio Radonis Palatini multorum domesticorum ne Scriptorum, an unius e Croatis caput confuderit, vis argumenti evincere debet; atqui hic rursum Diplomata — si Dii volunt — crimen falsi commisit: in illa enim uxor Lucia non inducitur initio mortua, et in fine quasi viva. Verba eius sunt: In nomine sancte trinitatis et individue unitatis. Notum sit omnibus Christi credentibus, presentibus ac futuris quomodo ego Rado Palatinus licencia piissimi regis Andree, eiusque fratris Adalberti (Belae) invictissimi Ducis, partem possessionis mee Sancto Petro Quinqueecclesiensi ordinavi, et Maurum eiusdem loci episcopom specialem in patrem adoptavi. — Sed quidquid dedi in manu uxoris mee lucie firmiter et laudabiliter stabilivi, ea quoque ratione, ut si ipsa supervixisset, testis huius facti apud Deum et homines exti-

tisset."—Cum in manus mortuas dos haud deponatur, mortuus apud Deum et homines testamenti nequaquam sit testis: sensus verborum ergo horum est lingvae latinae peritis, ut Lucia uxor, si superviveret, testis apud Deum et homines existeret.

§. 73. „In Donationalibus et Confirmatoriis inducitur Rado Palatinus cum uxore sua petiisse facultatem donationem hanc faciendi, ubi clare ç. 5. Decreti S. Stephani habetur: Decrevimus regali nostra potestate, ut unusquisque habeat facultatem sua dividendi, tribuendi uxori, filiis, filiabusque, atque parentibus sive Ecclesiae, nec post eius obitum quis hoc destruere audeat." Quod unus Palatinus certo ignorare non potuisset, ut aliquid, quod lex sibi tribuit, a rege petere potuisset, et vim legis hoc ipso debilitare; et eo minus id eum fecisse vel inde patet, quod Verbőczius P. I. T. 64. §. 2. aperte dicat: Ante Ludovici I. tempora quilibet Baro, Magnas, Nobilisque et possessionatus homo super iuribus suis possessionariis (si etiam haeredibus defecisset) prout voluit, sine omni concessu regio liberam disponendi habuit facultatem. — Dein datum in Confirmatoriis exponitur II. Nonas Junii 1057. regiminis duodecimo: quod nulla ratione subsistit, quod combinato successionis tempore, decimus aut ad summum undecimus esse potuisset annus." p. 16.

§. 74. En! cum virum se diplomaticum probare, ac iuris consvetudinarii auctorem, Verbőczium, consvetudinum avitarum expertem hinc tum aliis momentis evincere debuisset unus e Croatis, in frivolum Leguleum desciscit: Nullum monasterium, nulla Abbatia occurrit primitus fundata aut erecta regio absque consensu per quemcunque privatum. Fundationes etiam Princi-

pum regiorum Lamperti, Almi, Colomanni, quin reginarum quoque Euphrosinae etc. regium exposcebant consensum. Agitur autem hic de fundatione monasterii S. Demetrii super Zavam, quod in loco Sz. Demeter fuisse videtur, ob hostiles vicinorum incursus dudum collapsum: anno certe 1532. in censu Ecclesiarum Dioeceseos Quinque-ecclesiensis haud comparet. — Cum autem Andreas rex successerit A. 1046. Indictione XIV; indictio vero X. subsequa in Annum 1057. inciderit, defectus calculi diplomaticum nostrum hoc quoque in merito fefellit.

§. 75. „Demum: quod diploma hoc confirmatorium ab aliis genuinis Andreae regis Diplomatibus, in specie Tihaniensis Abbatiae, prorsus discrepet: Nullus testis, nullus Cancellarius subscriptus. Tandem pugnat cum genuino eius temporis Diplomate Petri Chresimiri Croatiae regis A. 1069. apud Lucium p. 83. ubi ita dicitur: Quia Deus omnipotens terra, marique prolongavit nostrum regnum.“ Sed nec modus, quo? nec annus quando? accidere debuisset, definiri potest: A. enim 1055. non: quod eotum non Rado, sed Zache Palatinus fuit. Post annum 1057. aeque non: quod donationalium praetensae confirmatoriae sint de dato 2. Nonas Junii 1057. adeoque donationales praecedere debuerint, utrumque autem ipsa recuperatio, et diplomatica rectificatio. Ergo accidere debuisset A. 1056. quod tamen vel inde improbabile est, quod Andreas cum Imperatore Henrico semper satis superque ad agendum habuerit, quam ut de recuperationibus quibusdam et hostilitatibus vel cogitare potuisset. Et ex cuius quaeso manibus haec provincia per Radonem fuisset erepta? Cum hoc tempore gesti

alicuius belli inter Hungaros et Croatas nec memoria extet. Sane illis, quibuscum bellum non fuerat, Provincia laboribus bellicis adimi non potuit." p. 16—17.

§. 76. Sed contra est 1) Diploma Andreae Radoni Palatino concessum ab eo, quod Abbatiae de Tihan dederat, discrepare oportet: illud enim fuerat confirmatorium, hoc donationale; illud patenter, hoc privilegialiter expeditum, ideo in hoc testes subscripti, in illo testis nullus subscriptus. In litteris patentibus testes haud subscribi, notum unicuique diplomatico est. Cresimiri diploma repugnaret, si A. 1057. inter Dravum et Savum regnum suum propagatum diceret; ast hoc non affirmat. Ergo nihil ad rem.

2) Quo modo? quo anno? cuius e manibus recuperatio haec facta fuerit? E testimonio gentilis sui Joannis A. Diaconi de Guerche, tum a scriptoribus Graecis novisse poterat laudatus diplomata: „Andreas rex, inquit is, stabilito sibi regno de recuperandis regni iuribus sollicitus, Adalbertum fratrem ducem fecit, — Radum autem Palatinum regni. Isti regem Croatiae coarctarunt, et Sclavoniam ad veteres limites Zettinae fluenti reduxerunt. — Pars Sclavoniae a Protorege A. 1030. Cresimiro Croatiae regi tradita, nam pars alia a decennio (ergo 1009) Diogeni, duci Sirmiensi parebat." Tum Cedrenus edit. Ven. p. 561. „Subacta Bulgaria se dedidit contermina Chrobatorum gens, et eius principes — solus adhuc imperium detrectabat, Sermo, Sirmii dominus — Diogenes, Sermone hoc dolo interfecto, recens captae ditioni praefectus, fuitque usque A. 1041. Quis successerit, ignoratur." En ergo Graecos, a quorum manibus recuperatio a Radone Palatino facta.

5) A. 1056. Palatinum fuisse Zache, fallit iterum: Diplomati enim Tihaniensi ad A. 1055. est is subscriptus: proin Rado, quin ditionem Hungarorum A. 1056. a Graecis recuperaverit, A. 1057. ministerium Palatii gesserit, nihil obstat. Nec Henrici Imperatoris hostilitas obstitit: cum ipso enim pax anno iam 1054 est confecta: „Andreas Pannoniae rex, quum prius pacem pactumque — auctore Leone Papa — cum Henrico rege confecisset, etiam sororem eius minorem filio suo adhuc puero obtinuit.“ Denique „idem Henricus obiit“ A. 1056.“ Continuator Hermanni. Conradus Annalista Hildesheimen ad A. 1054. — Nec belli his temporibus contra Graecos gesti vestigia desunt: „Hungarorum gens saepe Remanorum fines incursavit, et paulo ante, quam imperaret Alexius Comnenus Sirmium cepit (potius recepit) multisque trans Istranis urbibus expugnatis, Naesum usque pervenit.“ Ita Cynnamus L. V. C. XII. p. 103.

§. 77. „Sicut itaque omnino multa sunt contra validitatem documenti Radonis Palatini; ita nullum authenticum monimentum produci potest S. Emericum, aut Belam Andreae fratrem, vel aliquando Ducem Sclavoniae fuisse, sed solum Duces fuisse compellatos. Atque ita citra omne dubium est, quod Hungari nihil hostilis unquam habuerint ante tempora S. Ladislai cum Croatis; utpote pacificis semper, secus autem a fortitudine notis. — Si temporibus illis quas etiam excursiones habuissent ad has partes, quocunque sub colore, propterea tamen in nullam Croatiae provinciam seu mediterraneam, seu maritimam, seu demum interamnensem, eotum Saviam, subin Slavoniam dictam, quidquam iuris ullo titulo, tam parum obtinere potuissent, quam parum ad Germaniam,

Galliam, et Italiam, quas regiones saepe incursarunt, formare valent.“ p. 18.

§. 78. Ad postremum hoc Scriptoris argumentum diplomaticum sunt animadvertenda 1) S. Emericum seu Belam, fratrem Andreae regis, Slavoniae duces fuisse, nullo constare documento authentico, ac Principes Coronae, atque regios, ducum nonnisi axiomate insignitos; monimento Radonis nihil fidei derogat: in hoc enim Bela non Dux Slavoniae, sed tantum Dux absolute, salutatur.

2) Sed Hungaros ante tempora S. Ladislai nihil hostilis habuisse cum Croatis, a veritate abest quam maxime: nam et castra Posega et Zagrab etc. expugnarunt, et ad mare usque ubi Spalatina civitas, arma circumtulerunt: nolim testimonia §. producta regerere, unicam S. Christophori Legendam, ab episcopo Arbensi concinnatam appello: „Ungrani (Ungari) civitatem Arbensem obsederunt, dum Dalmatia nulli adhuc iugo subiecta fuit.“ Ap. Kerchelich.

3) Chrobatos recenter baptisatos (circa A. 641) extra limites propriae terrae non libenter aliis bellum intulisse, propter quoddum oraculum, exhibuisseque equitum sexaginta, peditum centena millia, sagenas octoginta, conduras centum etc. testimonio Constantini Porph. l. de adm. imp. c. 31. non ignoramus: ast scimus etiam eodem auctore: „Haec quidem Chrobatiae potentia et Copiae fuerunt usque ad principatum Crasemere (Klabor?) quo mortuo, cum Mirosthlabus filius, postquam quadriennium genti praefuisset, et a Priburia Bano interfectus fuisset, plurimis obortis dissidiis ac factionibus, equitum peditumque numerus valde imminutus est, item sagenarum et condurarum. Et Sagenas quidem nunc triginta habet, condu-

ras magnas parvasque et equitatum et peditatum." Ibid. Si potentia Chrobatorum tanta, ut Scriptori videtur, perstitisset, nec a Carolo Magno subiugari, nec ab Ottone II. biuis incursionibus pulsari, nec ab Urseolo Venetarum Duce insulis omnibus exui, teste Lucio de regno Dalm. p. 68—9. potuissent. Sed nec, subacta Bulgaria, Basilio Graecorum Imperatori se subiugare coacti fuissent (Cedren. ad A. 1019.)

4) Nec fuerant Hungarorum in Croatiam excursiones iis, quas in utrumque imperium fecerant, similes: num Germanorum, Gallorum, Lotharingorum, Italorum, Graecorum etiam castra expugnarunt, sicut Croatarum? Num etiam illi datis obsidibus, donis etc. semet dediderant, sicut, cum Serviis, Rasciis, Chroatae? Num etiam illos, tanquam suum populum habebant unquam, sicuti hos? (Belae Not. l. c. cap. XLIV.) Ergo Hungaros in Croatiam plus iuris, quam in Galliam, Italiam, Graeciam etc. acquisivisse, nemo veritatis amicus negaverit.

## IV. Politica.

§. 79. Scriptor noster Croaticus Geographiam, Historiam, Diplomatiamque pererrans, ad Politica etiam nos trahit, inquiens: „Verum potius ex praemissis omnibus illud clare consequitur, quod Slavonia, — intra Savi Danubiique confluentes clausa, nunc inferior dicta — ex quo eadem cum reliqua superiori Sclavonia et Croatia, exigente ipsa physica situatione, identitate linguae (??) coniuncta est, aequali quoad omnia Tractamento gaudere deberet, ab eo nihilominus

temporis, quod post sui a iugo turcico eliberationem, et secutam cum regnis his postliminio reincorporationem per Commissionem Regulatoriam partim ex defectu penitioris municipalium regnorum horum iuris cognitionis, partim scopo sublevandi Altissimi aerarii regii in obiecto Contributionis, et militaris condescensionis, ad normam Hungariae regulata extiterit, ipso facto in obversum communium regnis his iurium municipalium praegrauata sit. Seu quod idem est, ac corpori regnorum Dalmatiae, Croatiae ac Slavoniae ius esse postulandi, ut Slavonia inferior communium iurium municipalium ex aequo particeps reddatur, et sic regnis his plene reuniatur. Nam sicut regnum Hungariae ad recuperandas, quaecunque aliquando avulsae fuissent, partes regno reincorporandas recte ius format: ita regnis his non per arma subiugatis, sed per pacta conventa cum Colomanno solenniter inita cum Hungaria, ad scopum duntaxat communis securitatis, et contra vim externam defensionis consociatis, Jus postliminii ad recuperandas olim avulsas integrantes sibi partes aeque negari non potest." p. 18—19.

§. 80. 1) Quid haec omnia quaeso, ad praedictam de limitibus Hungariae ad meridiem, versus Croatas, quaestionem? suntne haec dicta suo loco? Non pertinent ne ad publicam in Comitiis regni rogationem?

2) Praeallegata nihil omnino evincunt: si ipsa physica situatio quidpiam valeret; pugnaret potius pro Carinthia, et inferiori Styriae parte, quae cum Slavonia et Croatia intra Dravum ac Savum contiguantur, quam pro Comitatibus quaestionatis, qui Danubio ac Savo ambiuntur parte maxima. Linguam

Croaticam propriam aut communem haud quaquam esse Slavoniae inferiòris accolis, sed potius Illyricam, Serviorum, Bulgarorum ac Bosnensium sermoni similiorem, iam Bandurius in Notis ad Const. Porph. animadvertit. Stritter T. II. P. I. p. 391. Primitus quoque ipsos Slavici, Theutonici ac Hungarici labii fuisse, e privilegio Hospitibus de magna villa Verőcze a Colomanno Duce concesso arguimus. V. Cod. Dipl. T. IV. V. I. p. 412. — Sed nec iurium municipalium communionem, seu sub Matthaeo Bano, seu sub Wladislao II. statuta consideremus, observamus: Ipsos cum Slavoniis Croaticis aequaliter, in dimidio, contribuisse aliquando, nullum est indicium. Vid. Kerchelich Not. Prael. p. 205.

3. Quaestionem invisam, num Croatia ac Slavonia partes regni Hungariae subiectae dicendae, vel potius annexae? Adversarius noster non attigisset utinam! Sed sententiam potius spectasset patriotae sui Balthasaris Kerchelichii, qui hac de quaestione Not. Prael. p. 249. modeste ita dicit: „Sufficiat dicere nedum Slavoniam, sed et Croatiam totam, legitimi esse iuris Sacrae Coronae, atque huic, suisque regibus aeque esse subiectam. Aliud autem est iurisdictio. ac territorium: horum intuitu illas esse a Hungaria distinctas, ex municipalibus legibus, tot, tantisque diplomatibus atque usu tot Saeculis praescripto, luculentum; — distincto, proprioque pars quaevis suam exercet iurisdictionem: Hungaria a Comite Palatino, Slavonia et Croatia a suis Banis, ita dependent, ut nihilominus utraque sacrae regni coronae, regibusque apostolicis sit subiecta." — Tum l. c. p. 399. „An partes hae et Regna Hungariae subiectae vel annexae sint? aliis denfiiendum relinquo. Rudolphus more veteri (Cf. Dipl. nro. LXII.) Status et

ordines regni Hungariae et partium ei subiectarum exprimebat. Mathias II. A. 1608. habet: ut regnum hoc suum Hungariae cum ceteris regnis et partibus eidem annexis," inferius vero: „Status denique et OO. praefati regni sui Hungariae, regnorumque ac partium ei subiectarum et incorporatarum." A. 1609: et partium eidem subiectarum" exprimit. Aeque Decreto 10. A. 1618. Ferdinandus II. in Decr. I. 1622. „et partium subiectarum ponit; in diplomate elargito et isthis articulo 2. invenio, initio: partibusque eidem annexis," in undecima autem conditione metas regni Hungariae et partium ei subiectarum." Similiter in Decr. III. 1640 Ferdinandus III. annexarum modo, modo subiectarum habet. Leopoldus quoque teste Decreto A. 1659. Decreto autem III. 1681. et partium eidem annexarum, prout et Decreto IV. 1687. exprimitur, servaturque ab A. 1681. nunc etiam in Decretis, rescriptisque Regum."

4) Ast antiqua nota, quae ad calcem Chronicae Archidiaconi Spalatensis reperitur, non vi, sed deditione, in Colomannum transivisse refert! — Mirum omnino Scriptorem diplomaticum (!) Croatam notae huic deferre, qui prius ubique testes, Cancellarium, vel Notarium, propriae manus roborationem, sigilli impressionis iussionem, quin et monogramma, ad authentiam monimenti requirit; quae hic desunt omnia. Nota illa ad Chronica Archidiaconi adiecta est, quin fons vel author, aut epocha adiectionis constet. Thomas ipse illam sane ignoravit; secus enim deditionis pactatae mentionem certo ingessisset, sicut Joannes Lucius; et Croatae conventionem illam, sicut Hungari libertates a Protorege concessas, a regibus Hungariae confirmandas, ursissent, expetiissent, sicut fecerant Ci-

vitates Dalmaticae quoque; ast urserunt, rogaveruntne unquam? An non generum, quae ibidem laudantur, posteri Cacciti, Subichii, Lampacani etc. tum alii Croatae: Berbirii, Szluinii, Babonegi Orjowchyti, Crusithii etc. distinctas ac peculiares a regibus Hungariae obtinuerunt libertates? quas legere est in Codice Hungariae diplomatico. Quid? quod ipse Joannes Lucius innuat Petro rege, ad montem Modrusiae et Petri, a Colomanno victo, Croatiae regnum cepisse, vel recuperasse, ut clarius e vita beati Joannis Episcopi Traguriensis, in Jadrensi oppugnatione inferius dicetur.“ l. c. Nota proin haec ventilata pactorum conventorum fidem evincere nullatenus potest.

Jura municipalia denique, iure ac consvetudine sacrata, qui Croatis et Slavoniis abiudicet est nullus. Ast cum illorum Comitatus Verőcze, Posega, et Szerem compotes haud sint, evidens est, hos ad Slavoniam primitus haud pertinuisse; ut ius illorum recuperandorum, quod unus e Croatis finaliter praetendit, ementitum omnino sit.

§. 82. Tam historicis documentis, quam legum articulis, atque iurisdictione Palatinali, ac Curiae regiae iudiciaria exercita, pro eo pugnantibus, quod Comitatus Verőcze, Posega, Valpo, ac Sirmium Banatui Dalmatiae ac Croatiae subiecti primitus neutiquam fuerint; ad rationes Scriptoris fundamentorum examinandas progrediemur; illas nulla praetermissa redigemus: 1) ad decimalia 2) ad historica 3) ad iurisdictionalia.

§. 83. Copiosissimus est fundamentorum compilator in decimis Episcopatui Zagrabiensis per Sclavoniam debitis oggerendis; ex quibus ita arguit nro 1. 7. 8. 16. 17. decimae de oppidis Verőcze, ac Lippova, de Sirmio, de Valpo, quin et tota Sclavonia, Episcopatui Zagrabiensi competebant, ergo non tantum oppida Verőcze ac Lip-

pova, sed et Comitatus Verőcze, Sirmiensis, Valpo, et tota Sclavonia Bano Croatiae subiecta fuerat.

Ast argumento huic vim detrahit decimarum vario modo collatarum ratio: Decimae fuerant originarie apud nos iuris regii: illas reges nostri pro altissimo beneplacito dispensarunt: decimas Comitatus Simighiensis Abbatiae S. Martini; Ugocsenses Episcopatui Transilvaniae ( V. Cod. Dipl. T. V. vol. III. p. 408—9) inter Muram ac Dravum fluvios provenientes Capitulo Zagrabiensi addixerant (Kerchelich Hist. Zagrab. p. 344) Quemadmodum ex eo, quod Ugocsensibus decimis Episcopi Transilvaniae, Insulae Maraköz Capitulares Zagrabienses, perfruebantur, haud sequitur, Comitatum Ugocsa ad Transilvaniam, insulam Muraköz ad Croatiam, pertinuisse; ita etiam ex usu decimarum per Comitatus Verőcze, Valpo etc. Episcopatui Zagrabiensi concesso neutiquam sequitur, dictos Comitatus Bano Slauoniae subiectos fuisse. Iure Dioeceseos decimas ad Episcopatum Zagrabriensem haud pertinuisse, monstrant limites, qui fluvio Lisznicze fundatione S. Ladislai, ac Andreae II. regum Hungariae definitione, fuerant constituti: „S. Ladislaus partes sibi Sclavonias regno primum occupavit adiecto, ubi et sedem fundavit episcopalem, videlicet Zagrabiensem. Cuius sedis dioecesim a sede Quinqueecclesiensi super Lisznicze fluentum, quod alio nomine Valko vocatur, determinavit, et abinde per Savum descendendo. Quidquid autem Sava concludit fluvius, ad ius dioecesanum, et iustam decimam Quinqueecclesiensis Ecclesiae commetatur, et ab alio fluento Lisznicze totam circumeundo Posegam, et ad Quinqueecclesiensem Dioecesim regirando, revertitur directe ad metam, seu terminum super

Dravum ex opposito fluvii Olmas dicto, qui de parte Septemtrionali in eundem Dravae fluvium cadens, ab occasu Solis Quinqueeeclesiensem Ecclesiam a Veszprimiensi Ecclesia metaliter dividit et seiungit." Idem probant etiam Cambiales Episc. Quinqueeccl. Bartholomaei literae. V. Di. nro VI. — Gregorius IX R. P. electus An. 1227. defunctus A. 1241. Abbatiam de Posega, d i o e c e s e o s Q u i n q u e e c c l e s i e n s i s scripsit. — Posegam cum aliis Parochiis prope illam in Catalogis 1334 — 1501. haud comparere, falsum est: in Codice Authographo Vaticano Collectoriae decimae sexennalis anni 1332. et seqq. occurrit in Archidiaconatu Dioecesis Quinqueecclesiensis nomine P o s a g o. V. Koller Prol. p. 119. Sed vide etiam Ritterium in Zagrabiensis Ecclesiae Historia. In specie:

1) Elisabeth maior regina Hungariae dicit (Cod. Dipl. T. V. Vol. III. p. 229.) „Nos decimas liberarum villarum de Vereucze ac de Lipova, et Comitatus de Verőcz, tam frugum, vini, quam marturinarum, tributorum, fororum, et portuum nostris temporibus percepimus, credentes ipsas decimas ad nos pertinuisse." — Si oppida Verőcze ac Lipova, Comitatusque Verőcze, ad Banatum Croatiae spectassent, eiusmodi errori reginali locus non fuisset, sicut in Comitatibus Zagrab, Varasd, et Crisiensi non fuerat. Ast Episcopum Zagrabiensem decimas Verőczenses nequaquam possedisse, Joannis de Marczaly literae condocent V. ad. Annum 1449. nro. XXXVIII. XXXIX.

7) Perinde sentiendum de contractu, quem Zagrabiensis Episcopus habuerit cum Nicolao de Ujlak, dicto rege Bosniae, de A. 1474. Is debere poterat Episcopatui Zagrabiensi, quin Sirmienses decimae ad ipsum pertinuerint, ad servitium utpote men-

sae regiae deputate A. 1518. Bach a. 13. item 1519 art. 11. Possedit idem Ujlak hodiernum Illok, in Comitatu Sirmiensi.— Ipsum non Banum fuisse Sirmiensem, sed Commendantem solum militarem; commentum Scriptoris est: cum Sententiam dixerit Zagrabiae, referente D. Kerchelich: secus dictus fuisset Wajvoda vel Capitaneus.

8) Lupus, Rasciae despota, eodem iure decimas pro castro suo Fejérkő, nativo idiomate Belastona, in comitatu Posega sito, Episcopatui Zagrabiensi pendere poterat, quin propterea Comitatus Posega Banatui subiectus fuerit Croatiae.

10) De oppido Zdenz, prope Diakó, Cot. Verőcze, ad pendendas Episcopo Zagrabiensi decimas adstricto, idem tenendum.

17) Decimis Episcopatus Zagrabiensis taliter se habentibus, illas Leopoldum R. H. 1696. non Bosnensi Episcopo, qui vicinitatis nonnisi maioris intuitu sibi praetendebat, sed Zagrabiensi, pro quo usus pugnabat, addixisse, mirum haud est; sed hoc mirum, quod ex usu decimarum illarum, Comitatuum Verőcze, Posega etc. subiectionem quoque Banatui Croatico obtendere ausit auctor.

§. 84. Argumenta **historica** numeris 3. 4. 12. 16. contenta infirma non minus sunt:

3) Census diversimode, per lucrum Camerae in Hungaria, per Quinquagesimam in Transilvania, solebant dependi: ubi pecudes aut martes proveniebant abundantius, in pecudibus, aut marturinis facti; martes proveniebant non in comitatibus solum Zagrabiensi, Varasdinensi, ac Chrisiensi, sed etiam in Verőczensi etc. Pecudes apud Siculos, Jazyges, et Cumanos: his proin census ac tributa soluta. Ex eo proin, quod Verőczenses marturinis contribuebant, sicut Zagrabienses; tam parum

sequitur ipsos Banatui Croatiae subiectos fuisse, quam parum inferri potest, Siculos ad Transilvaniam haud pertinuisse, quia ipsi pecudibus contribuebant. Si Verőczenses eo pertinuissent, martibus deficientibus, sicut Zagrabienses, per fumos contribuissent, non per portas; atqui per portas contribuerunt, ipso fundamentorum Scriptore testante p. 10, quod comitatuum Hungaricorum est. Idem ad punctum 16.

Lucrum Camerae in regno Hungariae, Quinquagesimam in partibus Transilvaniae, ac Marturinas in regno Slavoniae, exigi, iuris, consvetudinisque fuit antiquae: Andreae II. Aur. bull. art. 22. Decret. 1439: 7. 1492: 26. A marturimis his Bano solvendis Verőczenses, de Posega, nec non de Valko Nobiles identidem sunt immunes declarati: Per Colomanum totius Sclavoniae Ducem 1234. „Nec victualia Banis, quae Zolosmua vocantur (Verőczenses) dare teneantur." Cod. Dipl. T. III. Vol. II. p. 412—3: „Lucrum etiam Camerae nostrae Nobiles inter fluvios Drave et Zave ac de Posega, nec non de Walkou, cum aliis veris Nobilibus regni nostri unanimiter solvere teneantur, nec ratione collecte marturinarum Ban Zolusmaja vocatarum a modo et in posterum molestentur; sed ab omni exactione aliarum quarumlibet collectarum hactenus persolvi consvetarum exempti penitus, tanquam ceteri regni Nobiles aliarum partium, habeantur." Ibid. T. IX. Vol. II. p. 37—47. Albertus: Lucrum Camerae, in regno Ungariae, quinquagesimam in partibus Transilvaniensibus, ac marturinas in regno Sclavoniae exigi faciemus, reducentes ad statum tempore praefati condam Domini Ludovici regis observatum." Decr. A. 1439: 7. et etiam Decr. 1429: 26. Cum ergo marturinae a Bano in Slavonia ac Croatia exigendae in Verőcze, Valpo, ac Posega neutiquam obtinuerint, clarum est provincias has ad Banatum Slavoniae haud pertinuisse, sed immediate ad regnum Hungariae, quocum lucrum Camerae solvendum habebant. Idem sequitur etiam ex eo, quod Comitatus Slavoniae dimidium tantum eius, quantum Comitatus Hungariae, contribuere debuerint: 3. anni 1470. An. 1492. 3. A. 1593. 7. A. 1600. 3. 1601. 7. 1602. 2.

1604. 3. 1618. 8, 9. 1625. Quaestionati autem Comitatus tantundem ac alii Comitatus Hungariae debent.

7. E funesto reginarum Elisabeth ac Mariae, Nicolai item de Gara olim Palatini, ac Blasii Forgách Janitoris etc. casu: confici nil potest: Joannes de Horwathy non fuit Banus; e castro Posega, quod tenuit, cum fratre Ladislao ac Joanne de Palisna, valido hostico insultu ex abrupto in Strata, ex oppido Diako ad Gara ducente, irruit, ut habet Diploma A. 1387. V. in Mantissa tertia. Ibi civitas Gara expresse partibus Hungariae adnumeratur, et comitatus Posega a Slavonia distingvitur: „In nonnullis partibus regni nostri antefati, praesertim incivitate Gara appellata." — „Regna nostra Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae; ac Comitatum de Posega — cum castris in eisdem habitis omnino (perduelles) ditioni suorum subiugaverint."

12) E diplomate A. 1498. quo Capitulum Bosnense a faciendis in Sclavonia, ordinatione Mathiae Corvini, executionibus inhibetur eo, quod regnum Sclavoniae alioquin tribus: Zagrabiensi, Chasmensi, ac Posegano (?) provisum sit capitulis: perinde nihil sequitur: Initio certe duo tantum Capitula, Zagrabiense ac Chasmense processerant: liquet e Statutis Mathaei, Bani municipalibus. V. Di. nro VIII: provisio haec fieri subin potuit salva comitatuum Verőcze, Valpo, Posega, et Sirmiensis a Banatu independentia; sequitur quin imo: cum capitula Bács, Pécsvárad, Bosnense, ac de Kő in illis comitatibus executiones peregerint; Capitulum vero Zagrabiense, Chasmense neutiquam; ipsos Banatui subordinatos haud fuisse. Sed quid multa? Laudato diplomate Wladislaus a l i a m ab alia Sclavonia palam distingvit. Lege ipsum Diploma nro

**XIX. Capitulumque Bosnense porroquoque iure suo vetusto processit. Vid. Dipl. nro. XX. Quod Capitulum Poseganum, Archidiaconatus de Walko et Ecclesia Wylak, ad Dioecesim Quinqueecclesiensem, Comitatus Walko et Sirmiensis ad Hungariam pertinuerint, Saeculum usque XV., e literis, Pontificiis ac regiis est comprobatum.**

Poseganum Capitulum, Archidiaconatum de Walko, Ecclesiam de Wylak, ad Dioesesim Quinqueecclesiensem, Comitatus Walko et Sirmiensem Saeculo XIII—V ad Hungariae regnum, non ad Slavoniae Banatum, pertinuisse, literis constat plurimis: Urbanus (VI.) PP. — Dilecto filio Roberto, Subdiacono nostro, Cantori Ecclesiae de Posega — Quinqueecolesien. Dioecesis, salutem et ben. apostoli. In nostra proposuisti praesentia constitutus, quod venerabilis frater noster — Praenestinus Episcopus, cui conferendi per se vel alium, aut alios, personis idoneis beneficia Ecclesiastica personatus et dignitates cum cura, quae venerabilis Frater noster Tymotheus Zagrab, episcopus electus, promotionis suae tempore, in regno Ungariae, obtinebat, concesseramus per nostras sub certa forma literas, liberam facultatem Archidiaconatum de Wlko, nec non Canonicatum et praebendiam, quos idem Episcopus praedictae promotionis suae tempore in Quinqueecclesiensi Ecclesia obtinebat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, tibi praedictarum literarum auctoritate contulit et providit de illis, teque de ipsis, per suum annutum investivit, prout in instrumento publico inde confecto, dictique Praenestini Episcopi sigillo signato plenius continetur." Cod. Dipl. T. IV. Vol. III. ad A. 1264.

Jacobus Syrmiensis Episcopus -- harum serie duximus eidem Vestrae declarandum Sanctitati (Eugenio IV. PP.) quomodo venerabilis et religiosus frater dominus frater Jacobus de Marchia, Vicarius Bosnensis, Ordinis fratrum minorum, per ipsam Vestram Sanctitatem in hoc regno Hungariae inquisitor — haereticae pravitatis, nuper ad nostram Ecclesiam et Dioecesim satis exiguam in confinibus ipsius regni circa Rascianos schismaticos — sitam advenit A. 1437. Apud Vadding Annal. Min. nro XIX.

Albertus Rex Hungariae -- ex relatione fidelis nostri devoti, dilecti religiosi fratris Jacobi de Marchia, Ordinis S. Francisci de Observantia, Vicarii Bosnae, nostra satis displicenter intellixit Maiestas, quomodo nonnulli forent partium regni nostri homines, signanter in Comitatibus Syrmiensi, et de Walko ac oppido Commanecz, commorantes, quorum pravitate sceleratae intentionis permoti, atque zelo invidiae stimulati, illos nostros fideles regnicolas, qui fidei catholicae augmenta hominum favoribus praeferentes, praefato fratri Jacobo, alias in officio inquisitionis pravitatis haereticae procedenti, nunc in inquirendis latibulis huiusmodi haereticorum — auxilio et subsidio adhaesissent et adstitissent, diversis gravaminum generibus molestare et perturbare niterentur." Anno MCDXXXIX. Apud Koller Hist. Episc. Quinquececl. Tomo III. p. 377.

Nicolaus (V.) PP. — Cupientes igitur, ut Ecclesia oppidi Wylak, Dioecesis Qunquecclesiensis, ad honorem, et vocabulo D. Petri, Principis Apostolorum, fundata et in partibus regni Hungariae sita, quam progenitores Dilecti fily, Nobilis viri Nicolai de Wylak Wayvodae Transylvani fundarunt, et Nicolaus ipse de novo augmentare et reaedificare incepit, congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris et aedificiis reparetur et augeatur, ac etiam conservetur." Anno MCDLI. Hevenesi Coll. Dipl. Tomo V. p. 232.

§. 85. Argumenta eiusdem Scriptoris e iurisdictione per Banos in Comitatibus quaestionatis exercita nris 9. 11. 14. 15. 17. nihil omnino conficiunt:

1) Etenim Palatinum ac Judicem Curiae regiae, post erectum etiam a Mathia Corvino novum Slavoniae ducatum, in iisdem provinciis ius dixisse ordinarie, compluribus, omni exceptione maioribus, constat documentis: talia sunt sequentia, quae brevitatis gratia in extractibus liceat collaudare:

a) A. 1464. feria VI post festum Annae, relatio Capituli Bosnensis Mathiae regi facta super

realitate expositionis mandati inquisitorii Judicis Curiae, Ladislai de Palócz (in quo inter alios Thomas Csontos et Joannes filius Georgii de Csernek pro homine regio nominatur) pro parte Stephani ac Nicolai filiorum Desew de Csernek, ac Pauli Fejér de eadem, nec non Georgii, filii Andreae de eadem Csernek, in facto diversarum violentiarum per Emericum, filium Ladislai de Sagh, Castellanum Jobi de Gara ac Sylvestrum de Ságh, fratrem eius carnalem, Georgium item Horváth Vicecastellanum dicti Sylvestri, nec non Nicolaum Ságh de Tarnovicza, et Patrem Martinum Abbatem de Rudina, in bonis inquiri facientium, Tarnouiczae, Verusporth, Also Borostyán, Pamanicza, Petkege, ac Sumechicza perpetratarum expediti, in comitatibus Posega et Verőcze, per hominem regium Antonium Tertaly de Liphynye, in praesentia testimonii Capitularis, comperta, sub authentico eiusdem Capituli. — In originali ab Illustrissima familia Desewffi de Csernek conservata.

b) Anno eodem 1464. Festo divisionis Apostolorum, relatio Capituli de Posega super realitate expositionis literarum inquisitoriarum Judicis Curiae regiae, Ladislai de Palócz, pro parte religiosi patris Martini, Abbatis de Rudyna, nec non Conventus loci eiusdem, festo beatorum Petri et Pauli Apostolorum, anno Domini suprascripto, emanatarum, contra Stephanum, filium Desew de Csernek, in possessione Szutsán, praefatae Abbatiae propria, medio hominum inibi nominetenus specificatorum, diversas violentias inferentem, inquiri iubentium, per hominem regium Bako de Thorptusamelleke, praesente testimonio capitulari, cognita. — Originales in eodem Desőfiano archivo.

c) A. 1468. Festo beatae Luciae Virginis et martyris relatio capituli Zagrabiensis Mathiae regi facta super realitate expositionis Mandati inquisitorii Michaelis Országh de Guth regni Hungariae Palatini pro parte Georgii Daacz de Jabloncza, et Benedicti, Michaelis, Joannis ac Petri filiorum condam Stephani similiter Daacz de eadem, festo B. Mathaei Apostoli, et Evangelistae anno Domini 1468. emanati, contra Stephanum et Nicolaum, filios condam Desew de Csernek, portionem possessionariam in possessione Alsó Borostyán, Comitatui de Posega ingremiata, existentem, per praefatum condam Desew de dicta Csernek, dictis exponentibus in certa summa oppignoratam, eisdem violenter adimentes, inquisitionem peragi ordinantis, per hominem regium Joannem de Darnarocz in praesentia testimonii Capitularis comperta. Ex originali eiusdem Archivi.

d) A. 1470. Festo B. Agnetis Virginis proxime praeterito Relatio Capituli Bosnensis Michaeli Országh de Guth, regni Hungariae Palatino, facta super realitate expositionis literarum inquisitoriarum (ubi reliquos inter pro homine Palatini pro parte Nicolai ac Stephani, filiorum Desew de Csernek, ac nobilium Dominae Elisabeth consortis, et puellae Martha vocatae, filiae eiusdem Nicolai, nec non Pauli, filii Nicolai Literati, ac Stephani Csontos, Georgii, filii Andreae, filii Dezislai atque Joannis, filii Georgii de eadem Csernek) die dominico proximo post festum conversionis Beati Pauli Apostoli, A. 1469. emanatarum, in facto diversarum violentiarum per Antonium ac Petrum de Poroschjanovecz et alios inibi nominatos, medio assumtorum, et missorum suorum hominum, in possessionibus Csernek, Gathalowcz,

Gav, Breschivacz, Dragukegy, Provczicza, Peterhegy, Sumecze, et Lipenye vocatis, ipsorum exponentium propriis, eisdem vario modo illatarum inquiri iubentium per hominem Palatinalem, Georgium Bencsik, de Cserkovenik melléke, praesente testimonio Capitulari cognita. — Ex Originali Archivi eiusdem.

e) A. 1475. Die Dominico, proxime ante festum B. Nicolai Confessoris proxime praeteritum relatio Capituli de Posega, Michaeli Országh de Guth regni Hungariae Palatino, facta super comperta realitate expositionis literarum inquisitoriarum eiusdem Palatini pro parte Stephani et Nicolai filiorum Desew de Cservek, nec non Joannis et Gyurko, filii nunc Alberti... de Czerkvenyik, alterius Gyurko, filii Stephani, ac similiter Gyurko, et Marcho filiorum Balse de eadem Czerkvenyik, ac Jobi, filii Georgii de Strubotnok, atque nobilis dominae Catharinae, consortis Andreae Literati de Restarocz, ac Stephani filii eiusdem, in festo B. Galli Confessoris A. Domini 1473. emanatarum contra Damianum Horvath de Lithwa regnorum Slavoniae ac Croatiae V. Banum et alios inibi nominatos, diversas violentias vario modo inferentes, inquiri, et eosdem evocari ordinantium. — Originales in eodem Archivo.

f) A. 1483. Sexagesimo secundo die octavarum festi B. Michaëlis Archangeli literae relatoriae Capituli de Posega super realitate expositionis literarum inquisitoriarum Michaëlis Országh de Guth, regni Hungariae Palatini, pro parte Nicolai, filii condam Valentini Zekel, et nobilis dominae Annae, filiae condam Joannis, filii Blasii de Tharpovicza, contra Stephanum, filium condam Desew de Csernek, ac nobilem dominam Ilko

vocatam, relictam condam Michaelis Török, et Andream generum eiusdem de eadem Csernek, in possessionibus Tharnovicza, Kakuvölgy, et Bathyán vocatis, varias violentias inferentes, inquisitionem peragi ordinantium, per Nicolaum filium Benedicti de Schitnyik, hominem palatinalem, in praesentia hominis Capitularis comperta. Ex eod. Arch. — (Praesto sunt etiam de peracta inquisitione capituli Posegani ad eundem Palatinum relatoriae anno eodem, feria sexta post festum B. Marci Evangelistae. Ibid.)

g) 1497. Literae introductoriae ac statutoriae Stephani de Báthor, Judicis Curiae, Stephanum, filium Desew, filii Joannis de Csernek, in dominium Sessionis Mardurialis in possessione Sumegycze vocata, in Comitatu de Posega sita existentis, per praefatumque Stephanum virtute literarum pignoratitiarum super eiusdem Sessionis per Paulum filium Benedicti, de eadem, condam Desew, filio Joannis de Csernek, facta impignoratione emanatarum possessae introduci ac statui facere disponentes feria quinta, proxima ante Dominicam Ramis palmarum. Ibid.

h) A. 1522. Mandatum admonitorium et evocatorium Stephani de Báthor R. H. Palatini, quo Laurentius de Ujlak, Judex Curiae, ac Franciscus de Csernek, Comes Comitatus de Posega et castellanus huius, et alii inibi specificati, Thomae ac Georgii Ghilethfy de Vissetke in possessione Alsó Orchovecz, Comitatui de Posega ingremiata, diversas violentias inferentes admonendi et evocandi sunt. Ibid.

i) A. 1522. Festo B. Bonifacii martyris literae relatoriae capituli de Posega, virtute quarum, in sequelam literarum admonitorio — evocatoriarum

Stephani de Bátor R. H. Palatini ad instantiam Thomae ac Georgii Ghilethfy de Visetke emanatarum, Laurentium de Ujlak Judicem Curiae etc. ac Franciscum Desewffy de Csernek, aliosque inibi specificatos, exponentibus in possessionibus Orhovcz, et Alsó Orjawcza varias violentias inferentes, admoneri et evocari facere iubentium; praefati et alii ibi nominati, violenti admoniti et evocati sunt. Ibid.

k) A. 1528. Feria VI. in Festo Helenae relatio Comitatus de Posega Stephano Báthor Palatino de eo praestita, quod in effectum eiusdem mandati Castellum Poduersa cum suis appertinentiis medio exmissorum suorum sub sequestrum sumere pertentaverint; Castellanus tamen eiusdem Castri idem sequestrum non admiserit, declarando se non alteri, quam domino suo, Georgio Razurius, castellum idem resignaturum. Ibid.

l) A. 1536. Feria III. ante Dominicam Judica; donatio Comitis Alexii Thurzo de Bethlemfalva Judicis Curiae ac Locumtenentis regis Ferdinandi, Bona deficientis Barbarae, filiae olim Petri, filii condam Stephani de Orbova, signanter portiones possessionarias in possessionibus Dobochatz, Butya, Poszada, Drezanek-melléke et Polyna vocatis, in Comitatu de Posega existentibus, habitas, egregio Ladislao de Csernek conferentis. Ibid.

Toto igitur tempore, servitutem usque Turcicam, Comitatus Posega, Verőcze, Valpo, ac Szerem Palatinorum regni, Judicumve regiorum ordinariae suberant iurisdictioni; Banorum Slavoniae, durante Banatuum confusione, paruerunt duntaxat extraordinariae; qua Palatini ac Judices regii in Croatia et Dalmatia quoque nun-

quam non processerant. Quemadmodum igitur ex hoc haud rite inferretur, haec regna Hungariae fuisse incorporata: ita e casibus paucis immerito concluditur illos, Slavoniae regni partes aliquando integrantes constituisse. — Quamobrem:

9) Ladislaus de Egervára Paulinis introductorias in possessionem Dobrakut, Comitatus Posega, qua totius Slavoniae Banus A. 1492. elargiri potuit.

11) Joannes Corvinus Dux et Banus, Vajvodas, complurium scelerum patratores, in Comitatu etiam Verőcze auctoritate regia iussus in ordinem redigere potuit.

14.) Capitulum Poseganum ad Banum quoque Slavoniae referre potuit, sicut Zagrabiense ad Palatinum et Judicem Curiae retulit non raro.

15) Idem Capitulum erga requisitorium etiam V. Bani procedere poterat eadam ratione.

17) Franciscus Battyanyus, Slavoniae totius pro Ferdinando Banus, in conventu ad oppidum Rajecz celebrato, testimonio Istvánfii, e comitatu Verőczensi Joannem Bánfi cum copiis excire potuit; ac Verőcze caput comitatus agnominis, item Velike oppidum in Posegano situm, comitiis Slavoniae A. 1538. celebratis, locus annonae depositae constitui potuit; erant enim haec rei militaris.

Cum ipsemet Scriptor agnoscat p. 5. reges Hungariae hanc minuere, atque Slavoniam augere, haud potuisse; clarum est, Comitatus eius nonnullos ita subordinasse Banatui, quin per hoc a corpore suo fuerint penitus divulsi. Sequestrationis huius in Diplomatibus nullum est vestigium. Comitatus Verőcze, Valpo, Posega, ac Szerem nunquam dicuntur, sicuti Varasdinensis, Zagrabiensis, ac Chrysiensis, addito: in Slavonia.

§. 86. Superat, ut ad pauca etiam quibus Anonymus vim argumentorum nostrorum succutere contendit, respondeamus:

a) Nicolaum ac Laurentium de Ujlak Banos fuisse authoritate duntaxat militari praeditos, nostris Praesidiorum Praefectis similes: ast hoc alienum est a veritate: ipsomet commemorante litteras, queis Verőczenses a Palatinali iudicio exemti, ac Banali subiecti declarantur. Kerchelich laudat sententias a Nicolao Ujlakio, et ab ipsius successore Tahio, latas. l. c.

b) Catalogos Comitatuum Verbőczii, aliosque erroneos esse arguens, ignorat auctor Catastrum Comitatuum Corpori iuris Patrii adnexum, cum in primis operum editionibus non reperiatur, alienum esse additamentum; ast quidquid cum eo sit, cum Verbőcziano catastro, indiculos etiam in tabulario Aulico servatos, in Comitiisque regni confectos, erroris insimulare, temeritatis est maximae. Cur scriptor non produxit vel unicum Catalogum, quo Comitatus inferioris Slavoniae superioris adnumerati fuissent provinciis?

c) Librum rationum Sigismundi Quinqueecclesiensis, ac Thesaurarii regii temeratae fidei haud esse, vel comitatus Verőczensis sufficienter evincit, quem is Slavoniae accensuit: haec enim provincia fuit omnium primo cum Comitatibus Slavoniae propriae dictae commixtus. An etiam Posegani, Valpoenses, ac Sirmienses integram solvissent dicam, si partes constituissent Slavoniae? Querelae non fidem Thesaurarii, sed collectorum excessus concernebant.

d) Inter articulos 7: 1416. 16: 1448. ac 20: 1448 discrimen est manifestum: Comitatus Zagrabiensis, Chrisiensis, ac Varasdinensis constanter leguntur addito: in Slavonia; loca etiam in iis clariora; Verröczensis solus et unicus hic et ibi occurrit „in Slavonia," reliqui constanter absque addito: in Slavonia.

e) Stilo Cancellariae ac Curiae regiae nunquam scriberetur: „E iure bonae viciniae N. N. ex Austria, Styria, quaestus gratia, liber admittatur in contiguos Comitatus Posony, Sopron, Zala, Varasd, et Zagrab; sed distinctim: in Comitatus Posony, Sopron, Zala, item Varasd ac Zagrab in Slavonia.

f) Commissionis a Leopoldo A. 1696 ordinatae verba, (quae nullibi reperi) „Secundum communem sensum — qui in antiquis plurimum valeret — quidquid infra (intra?) Dravum et Savum comprehenditur, in specie vero Posegam, in Slavonia sitam esse," ceu ambigua, rebusque gestis haud consona, nihil probant. Interamnenses provinciae, Styriae vicinae, avitum Croatiae regni nomen iam receperant Diplomate in fidem incolarum attollendam et animandam A. 1683. his verbis edito: Spectabilibus, Magnificis, Generosis fidelibus nobis dilectis regni nostri Croatiae Statibus et OO. — V. nro 62. E partibus A. 1681. felici armorum successu revindicatis, nonnullae Colapianorum, Unnanorum, et Ogulinorum confiniorum nomine, banali administrationi commissae, pacificatione Karloviczensi 1699. 26. Januarii confecta, et 16. Febr. roborata retentae, a Comite Adamo de Battyan, Croatiae et Dalmatiae

Bano, A. 1700. regulatae fuerant. V. nro 64. — Ex adverso: Eszekinum, mox arces reliquae, Valkovár, Illokia, Petrovaradinum, Carloviczium, Csatina, Zakova et Posega, excepta Gradisca, e turpi 161. annorum servitute A. 1687. erutae quidem sunt, et dicta Karloviczensi pacificatione regiae Maiestati his verbis transcriptae: „§. 5. V. Ab ostio amnis Bossut in Savum efluentis usque item in Savum elabentis Wnnae fluvii ostium, Savi altera pars pertinens ad ditionem Caesaream, possidetur ab eius Maiestate, altera vero pars possidetur ab Imperatore Ottomanorum.“ non in Banalem, sed Cameralem ac militarem, nomine S l a v o n i a e, cesserant administrationem, et in Inspectoratum Eszekiensem, Provisoratus Verőczensem, Posegiensem ac Sirmiensem abierunt. Rex Augustus districtus hos desertos facta A. 1690. evocatione, incolis parte maxima Rasciis, providit; excessuum per officiales Camerarios ac militares — opressionem usque, — per fidelemBonorum suorum Fiscalium in regno Sclavoniae Administratorem Kemlyak certior redditus, eosdem nomine Slavoniae aliorum instar regulatorum Comitatuum administrari iussit, V. nro 63. Supremorum Comitum nemine, ob motuum bellicorum pericula, limites indeterminatos, et incolarum ferociam provincias has adire volente, idem Augustus decreto A. 1700. 11. Sept. emanato partes has neoaquisitas Hungariae partes palam recognoscens, Commissionem circa religionem ac politica et secularia relaturam designavit his verbis: E re, ac servitio nostro visum fuisset, quo exacta super n e o a c q u i s i t i s H u n g a r i a e p a r t i b u s, statis ultimi hucusque belliTurcici temporibus auxiliante Deo et victri-

et eius generationem ab vna parte, ab altera Comitem Petrum, filium Marcelli de genere Theten et totam cognationem suam, fomes discordiae et materia quaestionis a longi temporis tractu pro terra inter fluuios Puker et Tapolcsa vocatos, contigue adiacente, et alys in rebus ac dampnis processisset, et vsque modo in nostri praesentia perdurasset, quae tandem ad Dominum Regem fuit deducta, quam ad Dominus Rex nobis vice sua commisit audiendam et fine debito terminandam, quibus nos terminum ad producenda iura ipsorum versus inuicem praefiximus, quibus mediantibus terram praetactam generatio ipsorum tenuisset, et ipsis appropriarentur, quo aduento parte vtraque coram nobis constituta, et dictus Rubinus repetebat ipsam terram sub nomine Juris sui vsui proprio, allegans eam per Generationem suam olim populasse et coluisse; sed per generationem Comitis Petri vi occupatam detineri; et in eodem instanti instrumentis authenticis inclitae memoriae Beatissimi Stephani et Bela Benin. condam Regum Illustrium Regni Ungariae, et aliorum ipsis succedentium coram nobis productis suam euidentissime comprobauit Intentionem; cuius allegata et literalia instrumenta Comes Petrus memoratus ex aduerso, quae nos iusta, vera, recto iuris tramite compereramus calumniosis processibus cassare, improbare conabatur. Sed quia nullum euidens Priuilegium adiuris sui defensionem produxit, nec Proceres inter Drauum et Sauum commorantes, adducti per rationem quidquam pro parte ipsius responderunt. Sed contra, penitus sua improbatio locum habere non potuit; qui intellecta dampnatione suae causae, saepius a nostri Judicy sententia vana aufugiens

praesumtione, ad nostrum semper Judicium a Domino rege est remissus. Nos igitur licet Justitiae debuissemus facere complementum, ad maiorem tamen cautelam famae nostrae praecauendam, ambas partes praesentiae Domini regis fecimus astare, causam eorumdem. sicut coram nobis processum fuerat, serie tenus explicantes, et rationes et literalia instrumenta filiorum Woyk, quarum vigore Spanatum siue Knezatum in iam fata terra tenuissent, exponentes. Cum itaque ambae partes ante Dominum regem diu altercassent, idem Comes Petrus in sua intentione contra Rubinum memoratum totaliter et omnimode defecit, quem inueneramus tanquam calumpniatorem remansisse; sed ad petitionem Domini regis et nostram et aliorum quam plurium, dictus Rubinus condempnationem et poenam, quam merebatur, eidem remisit et propter bonum pacis et sincere dilectionis ac vicinitatis, super omnibus iniuriis, dampnis, nocumentis, vulnerum illationibus, morte seruientium et generaliter dicendo super omnibus malis hactenus inter eos contra sese inuicem habitis et motis, et specialiter pro terra, de qua lis inter ipsos orta fuerat et suscitata, vnanimiter in talem perpetuae et indissolubilis concordiae vnionem deuenerunt, quod dictus Comes Petrus partem terrae praedictae, supra quam villa Kereszthur, ad generationem Woyk pertinens extitit fundata, cum sessionibus, terris sationalibus, villis et Libertinis, eorumque pertinentiis adiacentibus et vtilitatibus vniuersis, infra certis metis, terminis, limitationibus, et signis inferius declaratis Rubino saepe dicto, et eius generationi annuit, et concessit haeredum in haeredes perpetuo possidendam, aliam vero partem terrae praescriptae, super quam villa Megeriwch extitit

fundata, cum sessionibus, terris sationalibus, villis et libertinis, earumque pertinentys adiacent. et vtilitatibus omnibus Comiti Petro, saepe dicto, et suae Generationi sub ea conditione vel forma, qua prius tenuerunt, idem Rubinus modo simili annuit et concessit haeredum in haeredes perpetuo possidere; immo omnem actionem et litis proprietatem, quam inter se, super quocunque facto habuissent, habebant, vel habere videbantur, quoquo modo, alter alteri commisit et renunciauit. Literas etiam per generationes ipsorum, vel eosdem hucusque inter se super rebus praemissis obtentas et emanatas, mortuas reddiderunt et inanes, si unquam per quempiam in lucem exhiberentur; hoc tamen non obmisso, quod si qua partium a modo in posterum aliquam portionem suam in praenominata terra habitam, vendere et alienare niteretur, aut litis materiam promouere attemptaret, vel aliquid praemissorum non acceptand. reuocaret, aut contra id temere veniret in praeiudicium alterius partis, quaelibet portiones talis partis absque litis processu in ius alterius, praemissa obseruantis, deuoluerentur, perpetuo possidendae; et insuper talis pars conuicta ducentas marcas argenti parti, hanc compositionem siue pacem toleranti, soluere teneretur eo facto. Ad quae omnia praemissa sese et proximos ipsorum absentes praesentibus obligauerunt propria sua voluntate coram Domino rege et nobis. Verum quia quantitas terrae iam dictae ad plenum nobis non constabat nobilem virum Zov chud Comitem ad faciem eiusdem terrae destinauimus, qui partem filiorum Woyk auctoritate Domini regis in propria, nouis metis circum quaque positis. ab alia parte terrae separet, et generationi Woyk saepedictae assignaret; vnde

idem ad nos rediens dixit, quod coram commetaneis et vicinis eorum circumstantiam terrae, seu villae Keresztur iam nominatae, secundum quod per ipsos fuit limitata, reambulauit, et metaliter separauit ab alia terrae parte, separatamque pacifice et quiete cum villis et libertinis circum adiacentibus, ipsis nullo contradictore, assignauit. Cuius quidem ordo metarum, prout idem Comes Zokud nobis, partibus praesentibus retulit, et in literis Capituli Quinqueecclesiensis in scriptis exhibuit, hoc ordine destinguitur (sequuntur metae) Dixit etiam idem Comes Zokud, quod Woyna, filius Woyna, Joannes filius Fabian, Zazlau, et Mark, filii Buza, filii Comitis Job, de praedicto genere Woyk, Arnoldus filius Peterd, Leukas filius Schen, de genere Comitis Petri saepe tacti, cum Stephano et Johanne de genere Tholonygh, super facie iam dictae villae Keresztur. praesentialiter comparen. huic compositioni et metarum reambulationi fauorabilem consensum praebuerunt. Ne autem haec coram nobis acta vllo vnquam tempore per aliquorum calumniam possint retractari, ad instantiam et petitionem partis vtriusque praesentem paginam sigilli nostri munimine communitam dedimus generationi Woyk saepe dictae. Datum per manus Mathiae, nostri Notary. Anno Dominicae Incarnationis MCCXXVIII. Andrea victoriosissimo rege, filio tertii Belae, regnante."

Ex originali eruit Kaprinai MSS. tomo. I. p. 158. sq. sub B.

*LXXI. Andreas R. H. praemissam Dionysii sententiam transcribit et confirmat. A.* 1228.

In nomine Sanctae Trinitatis et indiuiduae Vnitatis, Andreas secundus, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Seruiae, Ramae, Gallitiae,

Lodomeriae Rex in perpetuum. Quoniam cuncta senescunt, et omnia transeunt; expedit, quae hic aguntur, scripto Memoriae commendari. Per praesens scriptum cunctis nunc et in posterum damus in notitiam: Quod literas Dionysii Comitis Palatini ab ipso porrectas recepimus sub hac forma: Dionysius, Dei gratia (vt supra 1228.) Nos igitur huius processus seriem ratam et firmam habentes, in testimonium rei factae, et amplioris fidei certitudinem praesentes literas dupplicis sigilli nostri munimine fecimus irreuocabiliter roborari. Datum per manus Magistri Bulchu, Aulae regiae Cancellary, et Jaurien. Praepositi, Anno ab Incarnatione Domini M.CC.XXVIII. Venerabili Roberto, Strigonien. Reuerendo Vgrino Colocen. Archiepiscopis existentibus, Desiderio Chenadien. Alexandro Varadien. Reynoldo Vltrasyluano, Bartholomeaeo Quinqueecclesien. Gregorio Geurien. Cleto Agrien, Briccio Vacien. Stephano Zagrabien. Bartholomaeo Weszprimien. Episcopis existentibus, Ecclesias Dei fideliter gubernantibus, Dyonisio Comite Palatino, Ladislao Aulae nostrae Curiali Comite Budrugien. Jula Magno Comite Suprunien. Dyonisio filio Dyonisy Magistro Vdvornicorum (Tauernicorum) et Comite de Zonuk, Demetrio Magistro Dapiferorum et Comite Posoniens. Jula Magistro Pincernarum, et Comite Musunien. Nicolao Magistro et Comite Agazonum, et alys quam pluribus Comitatus et Magistratus tenentibus, regni nostri anno XXV."

Ex originali Mathiae regis transumto A. 1488. emanato descripsit Kaprinay MM. tomo I. p. 157. sub B. nro XCIII. Quomodo haec S. Stephani ac Belae I. regum donatio habuisset locum, si ante S. Ladislaum limites Hungariae inter Drauum et Sauum non patuissent?

*LXII. Breuis Historiae Slauoniae Anacephalaeosis ab Episcopo Zagrabiensi consignata. A.* 1599.

Illustrissime Domine etc. Scribit Illustrissima Dominatio Vestra Zagrab. Ecclesiam Hungaricas inter censeri non posse; quia 15. 1550. non comprehenderetur. — Parco lubens Illustrissimae D. Vestrae, vt rerum nostrarum ignaro. Aliud Sclauonia, aliud Croatia est. Cettina fluentum diuidit vtramque Andreae II. Belae IV. Sigism. Mathiae verissimis monumentis testantibus. Zagrab. in Slauonia esse, nemo dubitat. Haec chronicis nostris testantibus: ante Geysam (Ducem) Vngariae se coniunxit, vt antiquae Pannoniae vera pars ac membrum, vocabaturque Ducatus Hungariae; a S. Stephano pars ad occidentem meridiemque versa Crescimiro, regi Croatiae cessa fuerat, sed ab Andrea I. recuperata; iterum cum Sorore Ladislai I. obtigit Demetrio Svinimiro nominato. Ab huius sororisque Ladislai morte, ut dos data, redire debens recepta: est enim vtraque Pannonia vetus. In hac Ladislaus Episcopatum Zagrabiensem propria auctoritate constituit, dotauit Dombra et Scissio. Successores reges alys; vt non videam, qua ratione a Pannonia, siue Hungaria, modo avelli valeat? Et cur ab articulo XV: 1550. excludi? Dum attamen Ecclesiae huius Episcopus, Paulus Gregorianczius, egit oratorem. Hanc Sclauoniae superioris partem pro Croatia accipi scio; sed opininio, et error vulgaris, ius nullius conuellit, postquam ex monumentis liquet illud, quod in se verum iustumque est: Condendorum statutorum potestas Slauoniam ab Hungaria non separat, secus Comitatus etiam Hungariae forent auulsi, et ob synodos Ecclesiarum par-

ticularium concludi deberet recessus a Primatiali, quin et vniuersali Ecclesia. Etc. Mea interim Illustr. D. Vestrae perpetua seruitia deuouendo emaneo. Varasdini 1599. Sexta May. Electus Zagrabiensis Nicolaus Zelniczy. m. p.

Kaprinai MS. sub B. tomo X. nro. LXII. Nulla] hic Comitatuum in parte Pannoniae inferioris Orientali patentium mentio.

Menda grauiora emenda:

| Pag. | | lin. | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 37. | lin. | 7. | l. | Petesfi. |
| — | 51. | l. | 34. | l. | Croaticam |
| — | 84. | l. | 11. | l. | deduximus |
| — | 102. | l. | 1. | l. | Sigism. (sine de) |
| — | 109. | l. | 33. | l. | Slauonia |
| — | 110. | l. | 9. | | in quibus etc. dele. |